HOROLOGIVM
ASCETICUM.

HOROLOGIUM ASCETICVM,

INDICANS

Modum ritè, & cum fructu obeundi Christianas exercitationes, quæ singulis, certisque diebus occurrunt.

A Domno JOHANNE BONA, *Congregationis Reformatæ S. Bernardi Ordinis Cistercienſis Abbate, (postea Titul. S. Bernardi ad Thermas S. R. E. Cardinali) concinnatum.*

Opus Posthumum, quod nunc primùm prodit in lucem.

PARISIIS,

Apud LUDOVICUM BILLAINE.

M. DC. LXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

3

CLARISSIMO VIRO
JOHANNI GUALTERO
SLUSIO
BREVIUM SECRETORUM
SUMMI PONTIFICIS
Secretario & Prælato Domestico.

Has

PIISSIMI ET DOCTISSIMI
CARDINALIS
OPERUM PRIMITIAS
POST EJUS OBITUM
Typis nunc primùm mandatas,
PIENTISS. ET DOCTISS. EJUS AMICO

Offert

Addictiss. servus LUD. BILLAINE,
Typogr. Paris.

PRÆFATIO AUCTORIS AD LECTOREM.

Hoc Horologium mihi ipsi concinnaveram, (Benignissime Lector) ut affulgente desuper Sole justitiæ, opportunum tempus indiceret perfectè obeundi quidquid singulis certisque diebus faciendum occurrit. Sed cùm aliquot amicos & familiares in secretum meum admisissem, quidquid abditum erat perlustrantes in hoc etiam horarium inciderunt; quod cùm attentè & curiosè perspexissent, primùm laudare laborem meum,

tum me reprehendere cœperunt, quòd rem multis profuturam, publici juris fieri nollem, & mihi soli absconditam servarem. Id tandem verbis ac suasionibus effecerunt, ut hoc scriptum, qualecumque illud sit, permiserim evulgari, quod certè nunquam futurum putavi, dum hoc ipsum mihi soli elucubrarer.

Prodit igitur in lucem sciothericum Horologium, rudi quidem penicillo sine ullo ornamento delineatum; sed quod nemini obesse, prodesse autem plurimis poterit. Lucem habebit ab æterno Sole, cujus radiis illustratum diu noctuque his, qui verè filii lucis sunt, clarissimè collucebit.

Præmonendus est autem quicumque cupit ad præscriptum

hujus Horarii horas ſuas diſtribuere; quidquid hîc præſcribitur voluntarium eſſe, & eatenus aſſumendum, quatenus diſcretio ſuggeſſerit, aut charitas, aut obedientia, ne fortè militet contra virtutem, quod pro virtute inſtitutum eſt. Quaſdam orationes ex ſententiis ſacræ Scripturæ, alias ex verbis Sanctorum Patrum, aliorumque priorum Scriptorum contexui, ipſa quoque exercitia & alia documenta, ex omnigena Aſceticorum Doctorum defloratione excerpta ſunt.

Si quæ preces prolixiores videntur, ut pote in exemplum dilatandi affectus, pluribus verbis expreſſæ, facilè in breviorem formam redigi, & ſapienter diſpoſitæ, breviſſimo tempore percurri poterunt. *In co-*

dice ita legitur : Facile poterunt in breviorem formam redigi ; quamvis ſapienter diſpoſitæ, breviſſimo tempore percurri poterunt.

De Uſu Sacramentotum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, ſeorſum egi in Tractatu Aſcetico de Sacrificio Miſſæ typis evulgato, ex quo petenda quæ hîc deſunt.

Cæterùm hæc rudimenta incipientium ſunt, & prima quodammodo elementa pietatis, quibus anima ferventer & perſeveranter Deo aſpirante incumbens ad altiora ſenſim elevabitur, donec occulta divinæ ſapientiæ penetrans & deguſtans potioribus gratiæ donis perfruatur. Uſum & praxim hujus libelli ſequens elenchus indicabit. Perfectos autem ſublimiores nobiſque igno-

tos exercitationum modos unctio Spiritus Sancti edocebit. Cujus utinam gratia & mihi & omnibus legentibus uberimè adſpiret.

INDEX.

CAPUT PRIMUM.

DE INITIO DIEI.

CAP. II.

De his, quæ quotidie occurrunt.

Cap. III.

De Officii divini recitatione.

Cap. IV.

De fine diei.

Cap. V.

Miscella diversarum exercitationum.

INDEX.

HOROLOGIVM

HOROLOGIVM ASCETICUM,

INDICANS MODVM ritè & cum fructu obeundi Christianas exercitationes, quæ singulis certisque diebus occurrunt.

CAPUT I.

De initio diei.

§. I.

Surrectio Matutina.

1. CUM mane evigilaveris, sit prima vox tua, quæ postrema futura est. Jesus Maria. Tum mentem ad Deum eleva, ne ad vana, & curiosa volvenda distrahatur. Considera ipsum esse primum princi-

pium, & ultimum finem tuum, & piis affectibus ad eumdem aſpira, ne pondere corruptionis depreſſa voluntas ad amorem creaturarum labatur. Sicut oculi corporis ſummo mane luci ſenſibili aperiuntur; ita oculi animæ luci ſpirituali, & divinæ aperiendi ſunt. Tum etiam cavendum, ne priùs corpus, quàm anima evigilet: multi enim ſunt quorum anima vigilante corpore adhuc dormit, qui videlicet multa negotia terrena peregerunt antequam cor ad Deum erigant. Homo ſiquidem expergefactus eò ſe ſtatim duci ſinit, quò magis inclinatur. Qui mundum, & creaturas magis diligit, quàm Deum, ſtatim mundi cogitationibus repletur; qui verò Deum præ omnibus diligit, ad illum protinus convertitur, & de illo cogitat.

2. Intuere quaſi cœlum apertum, & magna animi alacritate pſalle cum Cæleſtibus Spiritibus ſacrum Triſagion dicens: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt Cœli, & terra gloria tua. Benedicta ſit ſancta Trinitas, atque indiviſa Unitas. Confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Anima mea deſideravit te in nocte, ſed*

& spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilavi ad te, Deus meus, spes mea, amor meus & omnia, humiliter petens, ut tua multiformi gratia penetralia cordis mei perfundas, & igne tui amoris vehementer accendas.

3. Hæc & similia dicens surge velociter, ac si ignis cubili injectus esset. Magni momenti est propera, diligensque surrectio, è qua ferè dependet divina visitatio, totiusque diei fervor & alacritas. Postquam verò surrexeris, signa te signo Crucis tanquam potenti panoplia adversus insidias inimici. Deinde humi procumbens Deum adora dicens: *Laudo, glorifico, & adoro te Sancta Trinitas unus Deus, & nihilum meum agnoscens, infra omnes creaturas me prorsus abjicio, & offero ad omne beneplacitum tuum in tempore, & in æternitate.* Mox terram osculare, ut coram Deo profitearis te terram esse, & citò in terram reversurum.

4. Dum indueris cogita vestium originem ex peccato esse, & dum lectum componis, dulcia cum Deo misce colloquia variis actibus fidei, spei, & charitatis, quorum formulam reperies infra

§. 5. Postea præsentior tibi factus propone hunc diem transigere tanquam postremum vitæ tuæ, Exurge è veterno tot vitiorum, & propera in via virtutum, donec hodie cognominatur, ut ait Apostolus. Firmiter statue non peccare amplius à solitis imperfectionibus abstinere, omnem Crucem, quam Deus immiserit, patienter ferre; humanis rationibus non moveri, solam æternitatem præ oculis habere.

5. Quicquid per diem acturus es, prævide, & offer Deo purissima intentione. Præpara & præmuni te ad omnia, quæ probabiliter conjicis posse tibi evenire, locis, negotiis, sociis, & occasionibus ritè perpensis: cumque futura peccandi pericula præviderís, accuratè disquire, quibus remediis te possis ab omni labe immunem custodire. Præordina actiones tuas, & modum in iis servandum: quid facies, quid vitabis, quibus verbis uteris, qua modestia conversaberis. Renova vota tua, & bona proposita olim concepta, actusque virtutis illius elice, qua præ cæteris maximè indiges.

6. His peractis unam ex subjectis orationibus devotè, & reverenter reci-

tabis, ſive prolixiorem, ſi nullis occupationibus impediris: ſive breviorem ſi pro ratione tui ſtatus curis, & negotiis implicaris. Continent ſingulæ ſeptem actus. Primus eſt adoratio, quæ conſiſtit in veneratione, & recognitione divinæ Majeſtatis, & in proteſtatione noſtræ dependentiæ ab ipſo, & ſubmiſſionis ſub ejus ſupremo dominio. 2. Gratiarum actio pro omnibus beneficiis generalibus, & particularibus, præſertim verò pro cuſtodia tranſactæ noctis. 3. Contritio de peccatis cum propoſito emendationis. 4. Petitio ut ea die te Deus cuſtodiat, & beneplacitum ſuum in te perficiat. 5. Oblatio tui ipſius, omniumque actionum, verborum, affectuum, cogitationum, motuum, cum recta intentione, & unione tuæ voluntatis cum divina. 6. Invocatio Deiparæ, omniumque Angelorum, & Sanctorum, præcipuè tutelarium. 7. Poſtulatio pro omni ſtatu hominum, pro vivis, & defunctis.

§. II.

Oratio prolixior manè recitanda.

Adoratio.

OMnipotens æterne Deus, Rex cœli & terræ, & Creator universorum, ego indignissima creatura tua in centro nihilitatis meæ ante Majestatem tuam humillimè prôvolutus, terræ adhærens, ex qua plasmasti me, & in quam reversurus sum, omni majori affectu, attentione, & reverentia, quibus scio, & possum, Adoro te. In quo autem deficio, quia non novi te, nec sufficiens est affectus meus ad infinitatem tuam, ut par est, recognoscendam, suppleas tu ô Trinitas individua. Si enim te cognoscerem, & comprehenderem aliqua ex parte altitudinem divitiarum sapientiæ, & scientiæ tuæ: tunc perfectiùs te adorarem, & cum omni militia cœlestis exercitus hymnum canerem gloriæ tuæ. Sed tabescit in me anima mea, quia incolatus meus de die in diem prolongatur, & jam tœdet animam meam vitæ meæ, dum dico mihi quotidie, Ubi est

Deus meus? Nam quis ſum ego vermiculus terræ, & opprobrium hominum, ut audeam faciem meam levare ad te, & aſpicere altitudinem cœli? Gaudeo tamen quod ſine te nihil ſum, nihil poſſum: nec vellem aliquid eſſe, aut poſſe, niſi dependenter à te. Et ideo omni momento peregrinationis meæ cum infima mentis, & corporis demiſſione intendo te adorare, tibique offero in ſupplementum imperfectionis meæ omnes adorationes Domini mei Jeſu Chriſti, B. Virginis, omniumque Angelorum, & electorum tuorum, atque eorum affectu, & veneratione Adoro te. Utinam omnis lingua viventium quaſi calamus ſcribæ velociter ſcribentis ſemper & ubique lætanter exprimeret, & omne cor tibi eructaret verba hæc dulciora ſuper mel, & favum, Adoro te.

Gratiarum actio.

Tibi laus, tibi gratiarum actio, Domine Deus, quia ab initio, & ante ſæcula, nullis meis præcedentibus meritis, prædeſtinaſti me conformem fieri imagini filii tui, atque ut ſalutem conſequerer, media neceſſaria ſapientiſſimè

præordinaſti. Licet enim ignorem, utrum amore, vel odio dignus ſim, ſed omnia in futurum reſerventur incerta; ſpero tamen in infinita tua bonitate me futurum vas miſericordiæ per merita Jeſu Chriſti Domini mei. Benedico te Pater Domine cœli, & terræ, quia cùm placuit tibi ex nihilo cuncta creaſti, ut notam faceres potentiam tuam. Me verò tempore præfinito ex Chriſtianis parentibus naſci voluiſti, quorum cura, & diligentia recta fide, boniſque moribus imbutus fui. Sed & Angelos tuos ſpiritus feciſti propter me, ut cuſtodirent me in omnibus viis meis, & ab innumeris malis, & periculis præſervarent. Omnia autem quæ feciſti continua quadam creatione conſervas, quoniam tua ſunt omnia, & cuſtodis me omni momento in faſciculo viventium. Sicut enim occidente ſole lux deſinit eſſe, ita te ſubtrahente concurſum univerſa hæc machina diſſolveretur. Quia verò propter peccatum primi parentis totum genus humanum miſerabiliter perierat, cùm perditos homines in æternum damnare potuiſſes, miſericordiam præſtare miſeris maluiſti; & qualem miſericordiam?

Ut servum redimeres Filium tradidisti. Gratias itaque ago omni qua vales virtute infinitæ pietati tuæ pro copiosa redemptione, qua nobis perditis subvenire dignatus es per eumdem Filium tuum, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, & nunc sedens ad dexteram tuam interpellat pro nobis constitutus à te judex vivorum, & mortuorum. Magna autem sunt beneficia, quæ in assumpta humanitate præstitit nobis: Sacramenta enim instituit, quibus lavamur, mundamur, roboramur, nutrimur, & ad vitam æternam præparamur: exemplis quoque, & doctrina instruxit nos, ut simus sancti, & immaculati in conspectu ejus. Non tamen omnibus prodest, Justissime Deus, efficacissima Christi redemptio: nam multi sunt infideles inimici tui, qui Filii tui Evangelium vel ignorant, vel contemnunt. Me verò nasci fecisti in Ecclesia tua, extra quam non est salus nec vita: & spectabilem me fecisti in domo tua, ut ascenderem ad altare tuum, & offerrem tibi sacrificium in odorem suavitatis. Cumque claudicarem in duas partes, intonuisti de cœlo, & voce tua

commovisti cor meum, ut sequerer te per semitas justitiæ, per viam Monasticæ disciplinæ. Corpus insuper aptasti mihi aptum ad animæ functiones, & sortitus sum te largiente animam bonã. Impulsus sæpe fui, ut caderem, & tu me suscepisti. Circumdederunt me mala, quorum non est numerus, & tu me liberasti. Absconderunt laqueum mihi inimici mei, & tu eo contrito eripuisti me. Nullus erit finis, si cuncta bona recensere voluero quæ fecisti mihi, quorum multa occulta sunt quæque quotidie multiplicantur, donec perveniam ad cumulum omnium bonorum, ad gloriam, quam præparasti diligentibus te. Pro his omnibus gratias ago tibi, præsertim quod hanc noctem tranquillam, & incolumem concesseris: & pro omnibus item donis, quæ singulis creaturis contulisti, quia ut tibi totus servirem, omnia quæcumque fecisti meæ commoditati, & saluti prodesse voluisti. Sit nomen tuum benedictum in secula, & tibi pro me gratias agant omnes Angeli, & sancti tui, teque exaltent quantum possunt, quia major es omni laude.

Contritio.

SEd væ misero, quia tot beneficiis tuis ingratus non cessavi peccare, & offendere te. Non enim feci voluntatem tuam, sed omnem justitiam tuam prævaricatus sum, & legem tuam non custodivi. Cecidit super me infelicitas Caïn, vagus enim, & profugus erravi longè à te currens sine fine per creaturas, quarum species decepit me. Et nunc recolo vias meas nequissimas in amaritudine animæ meæ, & confiteor dedecora mea in laude tua. Doleo ex toto corde quod offenderim te, quem amo super omnia, & statuo firmiter non peccare amplius, atque omnia potius tormenta perpeti, quàm quidpiam scienter perpetrare, quod tuæ displiceat Majestati. Confirma Domine hanc voluntatem, & qui mihi dedisti cognoscere flagitia mea, da ea ex toto corde detestari, & perfice dolorem meum, sana languores meos medicamento pœnitentiæ, & fac me dignè pro transactis culpis satisfacere. Quia verò non est sufficiens quicquid passus fuero ad promerendam delictorum veniam, quibus te

offendi Deum meum, cujus magnitudinis non est finis: ideo acerbissimam passionem Filii tui offero tibi, merita quoque B. Virginis, & omnium Sanctorum; & cum his omnia opera mea, & gemitus meos, quos ipse nosti. Ignosce Domine, placare Domine, attende, & fac. In tua siquidem bonitate confido quod per merita pretiosi Sanguinis Salvatoris mei Jesu Christi remissurus sis mihi omnia delicta mea, & gratiam uberem largiturus, qua vitam sanctè instituere, tibique perfectè usque in finem servire valeam.

Petitio.

INclina aurem tuam ad preces meas Domine Deus refugium meum, & custodi me hodie à rugientibus præparatis ad escam, ab incursu, & dæmonio meridiano. Notam fac mihi viam, in qua ambulem, & doce me facere voluntatem tuam. Da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo perfectè amare. Expelle à me spiritum elationis, & extingue desideria carnis. Pone custodiam ori meo, ut non delinquam in lingua

mea. Da patientiam in adverſis, continentiam in proſperis, terrena deſpicere, & amare cæleſtia. Vileſcant mihi omnia tranſitoria, nec aliquid cupiam extra te. Auge in me fidem, ſpem, charitatem, & da theſaurum humilitatis tuæ. Ad illum ſcientiæ gradum fac me pertingere, quo pervenit Apoſtolus tuus, cum dicebat ſe nihil ſcire, niſi Chriſtum, & hunc Crucifixum. Deduc me in ſemita mandatorum tuorum, & quod à me requiris ut faciam, tribue ut ſciam. Tu ſcis Domine quid à te petere debeam, id tu mihi largire, qui ſolus omnia potes. In te enim confido, & ſcio quia non confundar.

Oblatio.

TImor, & tremor veniunt ſuper me, cum recogito dies meos, quibus perditè vixi bibens aquam Ægypti, qua ſitis non ſedatur, & avolans à te, quaſi columba ſeducta non habens cor. Veruntamen ego loquar ad te, cum ſim pulvis, & cinis, & effundam in conſpectu tuo querimonias meas afflicti cordis interpretes, & nuntias ardentiſſimi deſiderii, quo concupiſco re-

dire ad te, & meipsum tibi in holocaustum offerre in unione illius sacrificii, quod pro me in Cruce litatum est. Hæc est spes mea multa nimis, in qua singulariter constitutus non erubescam surgere de pulvere, & excusso mundi jugo accedere ad te, & dicere : *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea.* Multæ quidem sunt iniquitates meæ, quibus iram merui, sed multo major est misericordia tua, cujus non est finis : Et si ego indignus sum gratia tua, respice in faciem Christi tui pro me pendentis in Cruce : nam ipse veniam postulat pro me gemitibus inenarrabilibus. In ipso, & per ipsum offero tibi omnia peccata mea, ut ea comburas igne ardentissimo charitatis ejus, meque dealbes in sanguine ipsius. Offero etiam tibi post scelera mea, quæ verè sunt mea, omnia bona quæ sũt in me quæ verè sũt tua. Tu enim dedisti mihi & velle, & perficere præveniens me in benedictionibus tuis, & omnis sufficientia mea ex te est. Trado igitur tibi animam meam, omnia viscera mea, sensus meos, & ossa mea, ut possideas me totum tan-

quam rem tuam, & adimpleas me lætitia cum vultu tuo. Suſcipe me in bonum cum omnibus verbis, actionibus, affectibus, motibus, cogitationibus, & reſpirationibus meis, in unione illius oblationis, qua dilectus Filius tuus ſe & ſua obtulit tibi. Et quia particeps ego ſum omnium timentium te, offero tibi omnia bona, quæ hodie fient in militanti Eccleſia, ut ea ſuſcipere digneris in ſupplementum imperfectionis meæ, Quicquid dixero, quicquid fecero, & cogitavero, totum opto ut tuum ſit & ad majorem tui gloriam, cum omni pura, & ſimplici ac Deiformi intentione, quam unquam habuit B. Virgo, & omnes Sancti, & ipſe Sanctus Sanctorum Redemptor noſter Jeſus Chriſtus. Et nunc Domine ſacrifico tibi quicquid in me & extra me eſt, renovans vota mea, ut totus tuus ſim, nec aliqua creatura in me habeat quicquam. Tu es enim ſuſceptor animæ meæ, & poſuiſti ſignum in faciem meam, ut nullum præter te amatorem admittam. Trado ergo me tibi tanquam lutum in manu figuli, & ſive me conſtituas vas ad ignominiam, ſive ad honorem, ſatis ſuperque

gloriosum mihi est in manibus tuis esse, & per eas quocumque modo contrectari. Fiat voluntas tua in me, per me, & de me, in tempore, & in æternitate.

Invocatio Deiparæ & Sanctorum.

DUlcissima Virgo Maria, Mater Dei, & Domini Nostri Jesu Christi, refugium peccatorum, & Mater misericordiæ, me hodie, & semper in tuam singularem custodiam humillima devotione commendo. Statue me juxta te, & protege ab omnibus inimicis visibilibus & invisibilibus. Dic animæ meæ salus tua ego sum. Dirige me servum tuum in omnibus viis, & actionibus meis, consolare in omnibus ærumnis, & angustiis; tuere & præserva à cunctis malis, & periculis. Converte faciem tuam ad me, cum finis advenerit vitæ meæ, & in hora illa tremenda consolatio tua lætificet spiritum meum. Omnia potes quæcumque vis in cælo, & in terra, nec est qui potuit resistere voluntati tuæ. Omnia enim quæ petis, obtines ab Omnipotente. Exaudi ergo, & suscipe preces meas, & noli me aspernari de tua pietate confidentem. Ecce procido

coram

coram te benignissima Virgo, procido & adoro in te Filium tuum, tuaque suffragia imploro, ut obtineas deleri peccata mea, ut concilies cordi meo cor Filii tui, ut possideat me, & faciat me hominem secundùm cor suum.

Adeste mihi Angeli sancti, signacula divinæ similitudinis, pleni sapientia, & perfecti decore; adeste, & defendite me ab incursu malignorum spirituum, ab hostium fraudibus, & insidiis. Succendite me illo igne, quem Dominus misit in terram, & voluit vehementer accendi. Vos septem Spiritus, qui astatis ante Dominum, ad nutum ejus semper parati, succurrite peregrināti in hac valle lacrymarum; purgate me ab omni sorde, & infundite menti meæ Sanctorum splendorem, ut absumpta omni materia divino amore totus ardeam, & unus cum Deo spiritus efficiar in æternum. Tu S. Michael cælestis militiæ Princeps gloriosissime, adjutor populi Dei, & electarum animarum susceptor, qui pugnasti cum Dracone, ejusque victor extitisti, veni in adjutorium meum in hoc ancipiti prælio, quod mihi inermi, & fragili cum eodem potentissimo

hoste quotidie gerendum est, ut ei fortiter resistere possim, nunc & in hora mortis meæ. Occurre animæ meæ è corporis ergastulo exeunti, & perduc eam tecum in Paradisum.

Et tu Angele mi Custos, qui semper videns faciem Patris, semper assistis mihi, plenus gratia, & fortitudine, protege me ab incursione diaboli vigilantem, dormientem, ac ubicumque fuero. Gratias ago tibi pro custodia, & pro dilectione, quam mihi indigno exhibes, tibique commendo hodie, & quotidie animam meam, & corpus meum. Excita me torpentem, consolare mœrentem, confirma labentem, subleva oppressum, adjuva periclitantem. Sicut mandatum dedit tibi Pater sic fac, & custodi me in omnibus viis meis, ne unquam offendam ad lapidem pedem meum. Ne deseras me in extremo agone versantem, & esto morienti singulare solatium, qui es viventi salutare præsidium.

Salvete Sancti & amici Dei, regni cælestis incolæ felicissimi, vitæ nostræ duces, & defensores. Salvete, & gaudete, quia transacto mortalitatis pelago ad

beatæ tranquillitatis portum jam ſecuri perveniſtis. Memores eſtote fratrum veſtrorum, qui adhuc navigant hoc mare magnum, & ſpatioſum, in quo ſunt horribilia monſtra hianti ore parata ad prædam. Eripite nos de aquis multis, & de limo profundi, fuſis precibus ad eum, qui dominatur poteſtati maris, ut ſtatuat procellam ejus in auram, & ſileant fluctus ejus. Mihi autem primitùs adeſte glorioſiſſimi Protectores & Tutelares mei, ad vos enim præcipuè dirigitur oratio mea, ut me ab omni malo veſtra tuitione liberetis. Tu ſanctiſſime Confeſſor Domini, Monachorum Pater, & Dux Benedicte, cujus regulæ ſuaviſſimo jugo collum ſubjeci ab adoleſcentia mea: Tu qui hoc menſe vel anno defenſor es vitæ meæ. Vos reliqui Sancti, & Sanctæ Dei N. N. quorum me patrocinio jam pridem commiſi, & quorum hodie feſtivitas celebratur, ſubvenite mihi miſero peccatori ſedenti in tenebris, & umbra mortis, ſolvite vincula captivitatis meæ, ut ſemper ſim memor mandatorum Dei ad faciendum ea. Miſeremini mei ſaltem vos amici mei, Filii matris meæ, quæ ſur-

ſum eſt . & liberate me à tumultuantium affectionum turba, ut diſcam mihi ipſi mori, & illi ſoli vivere, qui eſt vera vita, & ſalus animæ meæ, & merces mea magna nimis.

Poſtulatio pro vivis, & defunctis.

EXaudi orationem ſervi tui, Domine Deus noſter, miſericors, & clemens, & oſtende faciem tuam ſuper Eccleſiam tuam, quam ædificaſti tibi in fortitudine tua, & in magnitudine bracchii tui. Percute dorſa inimicorum ejus, & qui oderunt eam non conſurgant. Conſerva eam quietam, & tranquillam uſque ad mundi conſumationem, & portæ inferi non prævaleant adverſus eam. Ne deſpicias populum tuum, quem redemiſti tibi pretioſo ſanguine Filii tui, permaneat in ſanctificatione Eccleſia tua, & ne claudas ora canentium te, ut omnes gentes agnoſcant, quia tu es Deus, & non eſt alius præter te. Auge in nobis puritatem fidei, & munditiam ſanctitatis. Converte omnes infideles, errores omnes extirpa, ut fiat unum ovile, & unus paſtor. Miſerere

Romani Pontificis, quem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, ut verbo, & exemplo cunctis præluceat. Da illi jucunditatem cordis, fieri pacem in diebus suis, amplificare gloriam tuam, & populum tuum corroborare. Sit gregi sibi commisso forma justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar. Da Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ, ut sint sal terræ, & lux mundi, & quasi sol refulgeant in domo tua. Da famulis tuis, quos Archiepiscopos, & Episcopos elegisti, fungi sacerdotio sine reprehensione, & habere laudem in nomine tuo. Concede ut prædicando, & exercendo quæ recta sunt exemplum bonorum operum cunctis fidelibus præbeant. Adesto Parochis, Presbyteris, & omni Clero, ut & ipsi potentes sint opere, & sermone, nulli præbeant scandali occasionem, diligant puritatem, & ea instanter sequantur quæ pacis sunt. Esto propitius omnibus Religiosis, quos separasti tibi in hæreditatem de universis populis, ut per angustam viam sequerentur Christum. Da illis nudam paupertatem, purissimam castitatem, & perfectissimam obedientiam. Fac ut omnes in sua vocatio-

ne optimè vivant, votaque sua, & regulas exactissimè observent: Prælati verò sollicitè vigilent super gregem sibi commissum in omni doctrina, & patientia. Præcipuè verò pro hac Congregatione, ad quam me vocare dignatus es, preces effundo in conspectu Majestatis tuæ, ut spiritualibus proficiat institutis, & temporalibus non destituatur auxiliis. Mitte nobis auxilium de sancto, & de Sion tuere nos, & da nobis veram charitatem, & concordiam, quæ tibi sit placita. Recordare omnium qui laborant in vinea tua, ut palmites ejus extendant usque ad mare, & per universam terram propagines ejus. Effunde miserationes tuas in omnes Reges, & Catholicos Principes, junge eos pace tua, & dita eos observantia mandatorum tuorum. Fac eos diligere justitiam, & facere judicium in omni tempore. Præmiis bonos, & malos pœnis afficiant, tuaque protectione muniti de hostibus sanctæ Crucis lætam victoriam obtineant. Tuum etiam auxilium cunctis Magistratibus præbe, ut pacata gubernatione subjectos regant, teque semper timeant in judiciis suis, & tibi jugi-

ter placere contendant. Memento piissime Pater Parentum meorum, omniumque affinium, & consanguineorum, illorumque omnium, qui me corporaliter, & spiritualiter educarunt, quorum curam, & singula, quæ erga me egerunt, sanctissimis operibus filii tui unio, ac tibi offero ad laudem tuam, & eorum salutem sempiternam. Fac eos Domine sic transire per bona temporalia, ut non amittant æterna. Tu qui in misericordia disponis omnia exaudi me clementiam tuam implorantem pro universis, qui in carcere, & captivitate sunt, pro ægrotis, tentatis, tribulatis, desolatis, & afflictis; pro his qui in peccato mortali obdurati sunt, & computrescunt in sordibus suis: Pro his qui persecutionem patiuntur, pro constitutis in agone mortis, aut in aliqua gravi necessitate, ut ex tua largitate libertatem, salutem, consolationem, victoriam, gratiam, donum contritionis, felicem mortem, suarumque necessitatum remedium consequantur. Supplex item oro te, benignissime Deus pro omnibus inimicis meis, quos intime diligo: pro iis qui pravo affectu, & mala voluntate

erga me ſunt, vel aliquid contra me moliuntur, quos ego unquam offendi, aut ſcandalizavi, & ad peccatum induxi, vel qui me factis, aut verbis offenderunt, vel ad peccatum induxerunt; ut eis in omnibus benefacias, & pro infamia, qua me affecerunt honorem, pro detractionibus bonam famam, pro odio in me ſanctiſſimum amorem tuum, & pro omnibus malis adverſum me irrogatis bona temporalia ſaluti eorum utilia, & æternam vitam retribuas. Illos verò, quos ego offendi, aut ſcandalizavi, protege, & defende ab omni malo, & gratiam tuam eis infunde, ut per veram emendationem, & confeſſionem omnium delictorum veniam conſequantur. Miſerere omnium hominum, quos creaſti, Deus omnium, & oſtende univerſis populis lucem miſerationum tuarum. Immitte timorem tuum ſuper barbaras nationes, ut cognoſcant, quia non eſt Deus, niſi tu, & enarrent magnalia tua. Illumina omnes gentes à fide alienas, Turcas, Ethnicos, Judæos, Hæreticos, atque Schiſmaticos: aufer velamen à cordibus eorum, & in domum Eccleſiæ tuæ eos intrare compelle. Lugeo

geo coram te, Domine hos fratres meos, qui te non noverunt: & si possem omnium istorum intellectibus in te crederem, omnium voluntatibus te amarem, omnium viribus tibi servirem. Adesto omnibus qui se commendaverunt indignis orationibus meis, vel quibus quacumque ex causa debitor sum: omnibus item amicis, familiaribus, benefactoribus, confessariis, & superioribus meis: omnibus illis, quorum confessiones audivi, & qui se meo patrocinio, curæ ac tutelæ commendaverunt; Exue illos à peccatis præteritis, custodi ab imminentibus, præserva à futuris. Vincat te, pietas tua Rex æternæ, cui omnia vivunt, & propitiare animabus omnium fidelium defunctorum, parentum meorum, consanguineorum, affinium, amicorum, & benefactorum, super quas invocatum est nomen tuum. Ostende illis faciem tuam, & pone in conspectu tuo preces Ecclesiæ tuæ sponsæ tuæ, quæ pro illis clamat ad te die, ac nocte. Libera eas de ore Leonis, ut cantare incipiant canticum novum, misericordias tuas fideles, teque collaudent cum cæteris sanctis tuis gloriosum, & bene-

dictum in secula seculorum. Amen.

§. III.

Alia Oratio brevior.

AD te à quo sum, & per quem vivo, sentio, & intelligo: ad te summum bonum meum, qui es principium meum, & finis ultimus: ad te levo manus meas, & cor meum, Sancta Trinitas unus Deus, teque omnium creaturarum possibili affectu laudo, glorifico, & adoro toto corde, & corpore prostratus, atque in centrum terræ, meique nihili infra omnes creaturas me prorsus abdo, ac demitto. Dignus es Domine omni honore, & gloria, & gratiarum actione, quia cum non essem, creasti me ad imaginem, & similitudinem tuam: & cum perditus essem, pretioso Filii tui sanguine redemisti me, & Sancti Spiritus gratia sanctificasti me: à multis malis me præservasti, peccantem tolerasti, & ad pœnitentiam expectasti. Insuper me indignissimum servum tuum spectabilem fecisti in domo tua, ut offerrem tibi quotidie sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini mei Jesu Christi. Pro

his, & aliis innumeris beneficiis, quæ mihi misericorditer præstitisti, præsertim quòd hanc noctem tranquillam, & incolumem concesseris, gratias ago tibi rogans humiliter, ut delicta mea multa, & magna dimittas mihi; ea enim agnosco, & confiteor cum vero proposito emendationis. Utinam te infinito amore dignissimum semper perfectè amassem, & nunquam tot peccatis, & negligentiis offendissem. Doleo de his omnibus, & singulis ex totis præcordiis meis purè propter te Deum meum summè amabilem. Ignosce mihi Domine, & infunde timorem tuum sanctum, fidem vivam, firmam spem, ardentem charitatem, & omnes virtutes, quibus indigeo. Custodi me hac die ab omni malo, & doce me facere voluntatem tuam. Dirige omnia verba, cogitationes, & opera mea ad majorem tui gloriam, & salutem animæ meæ, & fac me ita creaturis uti, ne me separent ab amore tuo. Portas sensuum meorum ita custodi, ne quis eas intret nisi missus à te. Propter te Deus meus, conabor hodie omnia peccata, & defectus cavere, præsertim loquacitatem: & proficere in virtutibus, præ-

cipuè in humilitate. Da tu quod jubes, & jube quod vis. Credo, Domine, quicquid per Ecclesiam tuam Catholicam credendum proposuisti. Omnem spem meam in tua bonitate, meritisque Domini mei Jesu Christi repono. Diligo te totis viribus, tota mente, tota virtute. Tuæ legi obediens ero usque ad mortem, quam pro tuo amore, & honore lubens subire paratus sum quacumque hora tibi placuerit. Adversa omnia de manu tua libenter accepto, omnes amicos, & inimicos propter te, & in te diligere volo; si aliter fecero, errantem revoca, & meam etiam rebellem ad te compelle propitius voluntatem. Renovo vota mea, quæ distinxerunt labia mea, eaque tibi offero, & cum illis quicquid habeo, quicquid sum, quicquid possum. Offero tibi filii tui ardentissimum in te amorem, Beatæ Virginis sanctitatem, puritatem Angelorum, Patriarcharum fidem, Prophetarum constantiam, labores Apostolorum, pœnas Martyrum, Confessorum patientiam, castimoniam Virginum, omniumque Justorum virtutes; ut ipsi, qui tibi placent, pro me intercedant & meam suppleant

imperfectionem. Quod si mihi tot vitæ forent, quot stellæ in Cælo: si omnia regna, & divitias mundi possiderem, cuncta libenter Majestatis tuæ obsequio impenderem. Confirma Domine hanc voluntatem, & exaudi orationem servi tui. Tu quoque post Deum tota ratio spei meæ, Beatissima Virgo Maria, Domina & Patrona mea benignissima, adesto mihi miserrimo peccatori. Gratias ago tibi quod tuis meritis, & patrocinio usque ad hanc horam perveni. Ego me hodie, & quotidie tuæ Fidei, & tuitioni committo. Suscipe me Mater amabilissima in servum, & filium tuum indignissimum, & præserva ab omni malo animam meam, nec me deseras in hora mortis. Impetra mihi omnium peccatorum remissionem, impetra perfectam mortificationem, & introversionem, ut sim homo secundùm cor Dei.

Et tu Angele Sancte, potentissime, & fidelissime Custos animæ meæ, defende me ab omnibus insidiis malignorum spirituum, omnes peccandi occasiones amove, sanctas cogitationes inspira, dirige verba, & opera mea secundùm Dei voluntatem; tuere me in ultimo vitæ

agone, & pro me ſemper intercede. Gratias tibi ago pro cuſtodia, quam indigno clienti tuo hac nocte impendiſti; omneſque tecum beatiſſimos Spiritus imploro, ut in omnibus neceſſitatibus, & anguſtiis meis adſiſtant mihi.

Vos item invoco Sancti, & Electi Dei omnes, vos præſertim Patroni mei ſuaviſſimi, & quandoquidem de veſtra ſalute ſecuri eſtis, de mea ſoliciti eſſe dignemini. Laudate, benedicite, & ſuperexaltate Dominum mecum, & pro me; mihique gratiam obtinete illum perfectè cognoſcendi, & amandi in via, ut demum in patria eo perfruar vobiſcum in æternum.

Sed nunc iterum coram te effundo deprecationem meam Domine Deus meus, tibique omnes hodie commendo, pro quibus orare teneor, ut in cunctis neceſſitatibus ſuis opem tuam ſibi ſentiant adeſſe. Reſpice Eccleſiam tuam, eamque pacificare, & coadunare digneris unà cum Papa noſtro N. cunctiſque Epiſcopis, & Paſtoribus, omnique Clero: fac eos in tuo ſervitio ferventes, ut cum grege ſibi commiſſo ad vitam perveniant ſempiternam. Reſpice Reges, &

Principes, omnemque Magiſtratum: da illis ſapientiam, & concordiam zelumque juſtitiæ, & Religionis. Commendo tibi omnes domeſticos, & familiares, conſanguineos, & affines, benefactores, & adverſarios; concede omnibus, & ſingulis quod ſcis eis expedire ad ſalutem mentis, & corporis. Da afflictis conſolationem, infirmis ſanitatem, peccatoribus veniam, juſtis perſeverantiam, vivis pacem, & requiem defunctis. Amen.

§. IV.

Tertia Oratio breviſſima.

ANte thronum gloriæ tuæ, mente, & corpore procumbens, ô Beatiſſima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Deus meus & omnia tanquam figmentum manuum tuarum à te in omnibus, & per omnia dependens, omni qua poſſum humilitate, & devotione adoro te: atque ex intimis viſceribus tibi gratias ago pro creatione, redemptione, conſervatione, Sanctiſſimis Sacramentis, vocatione ad ſtatum religioſum, & pro aliis innumeris benefi-

ciis mihi, & toti mundo conceſſis; præſertim verò quia ad initium hujus diei me incolumen perduxiſti: Millia millium cæleſtium agminum miniſtrantium tibi, & decies millies centena millia aſſiſtentium tibi, te ex me glorificent: atque omnes creaturæ collaudent, & nomen tuum glorioſum ſuperexaltent in ſecula. Mihi verò Domine, rubor confuſionis eſt, neque audeo oculos meos levare ad te, quia peccavi tibi, & omnem juſtitiam tuam prævaricatus ſum. Ignoſce confitenti, Pater miſericordiarum, & vide dolorem meum. Deteſtor omnia peccata mea, abominor ingratitudinem meam, & malo incurrere omnem pœnam quàm deinceps te offendere. Si lapſus fuero, operi manuum tuarum porrige dexteram, & dirige greſſus meos in ſemitis tuis. Aufer à me quicquid tibi diſplicet, & da quicquid tibi placet. Poſſide me jugiter ſecundum beneplacitum tuum, & perfectionem in ſpiritu monaſtico tribue, ut gaudium meum ſit plenum. Da ut hodie, & ſemper tibi ſoli vivam, te ſolum quæram, & univerſa deſpiciam. Perfunde me ſpirituali jucunditate, ut te in omnibus, & ubi-

que inveniam, ac tandem per felicem mortem ex amore, & in amore tuo ad te merear pervenire. Tibi me totum, æterne Deus, omnesque animæ, & corporis vires, quicquid intra me & extra me est, offero, & immolo. Omnes cogitationes, omnia verba, & opera hujus diei, ac totius vitæ meæ suscipe obsecro unita operibus, verbis, & cogitationibus Filii tui ad majorem tui gloriam, & proximorum salutem. Tibi enim sincerè servire decerno propter te solum, Deus meus, quia ex te, in te, & pro te sunt omnia, qui es summum bonum meum, & ultimus finis. Ostende mihi & omnibus pro quibus orare debeo viam in qua ambulemus, libera nos ab omni malo, & da fidelibus defunctis requiem sempiternam. Adeste & vos beatarum agmina mentium, tuque in primis Beatissima Virgo Maria, unica post Deum spes, & protectio mea: tu Angele mi custos cum omni Angelorum exercitu; vos sancti mei tutelares, vos omnes electi Dei inopem juvate, jacentem erigite, & peregrinanti in hoc exilio, atque in tenebris sedenti lumen, opem, & perseverantiam impetrate. Pax

& benedictio Domini mei Jesu Christi, & virtus sacratissimæ passionis ejus; signum sanctæ Crucis, & titulus triumphalis Jesus Nazarenus Rex Judæorum; integritas purissimæ Virginis Mariæ, custodia sanctorum Angelorum, & suffragia omnium Sanctorum sint inter me, & omnes inimicos meos visibiles, & invisibiles, hodie, & semper, & in hora mortis meæ. Amen.

§. V.

Aspirationes pro initio diei.

D*Um indueris.* Indue Domine animam meam veste nuptiali charitatis, quæ operiat multitudinem peccatorum meorum, & immensis monilibus virtutum exorna me.

Largire animæ meæ vestes, & ornamenta, quæ eam maximè deceant ne appareat coram te, & sanctis Angelis tuis deformitas mea.

Præcinge lumbos meos, purissime Jesu, cingulo castitatis, & pudicitiæ, ut viam mandatorum tuorum expeditè currere possim.

Actus Fidei. Scio Domine scriptum

esse, quod justus ex Fide vivit; ideo propono secundum principia Fidei hac die vivere. Adjuva me gratia tua, ut sicut credo, ita vivam.

Confirma, & adauge Fidem meam, quia sine Fide impossibile est placere tibi: Quicquid autem acciderit mihi Fide roboratus securus, & immobilis ero, & nomen tuum glorificabo.

Offero tibi Deus meus, vitam, & sanguinem meum pro Fidei assertione, & testificatione. Verissima sunt omnia quæ revelasti, idque constantissimè per gladios, & ignes, te adjuvante profitebor.

Actus Spei. In te Domine speravi, non confundar in æternum. Tu adjutor meus, & protector vitæ meæ. In te hodie eripiar ab omni periculo, & tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.

Dixisti Domine, & ita est: Sine me nihil potestis facere. Ideo in me nihil confido, quia nihil sum: in te autem tota fiducia mea est, quia tu salus mea es, refugium meum, & firmamentum meum.

Quicquid molestum mihi evenire permiseris, benignissime Pater, semper in

te ſperabo; certus ſum enim quia ſi in inferno demerſus fuero, inde me liberabis.

Actus Charitatis. O dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ, Domine Deus meus, ſcio te infinitè amabilem eſſe, & infinito amore digniſſimum. Utinam tanto te proſequi poſſem, quantum mereris: Gaudeo tam magno te amare te ipſum, ipſumque amorem tuum offero tibi.

Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Vana ſunt omnia extra te, & ideo abduci cupio ab amore omnium creaturarum, & te ſolum diligere tota mente, toto corde, totis viribus: in te vivere, & pro te mori. Fac me voti compotem, qui ſolus potes, Deus amor meus, & centrum cordis mei.

Quando me totum in te rapies ſuaviſſime Jeſu! Quando me totum illo igne ſuccendes, quem miſiſti in terram! Te deſidero, ad te ſuſpiro, tolle à me quicquid impedit amorem tuum. Valida vis amoris tui omnium rerum terrenarum pondus à me excutiat. Sola voluntas tua, Deus meus, & purus amor tuus abſor-

beant voluntatem meam, & omnes potentias, & ſenſus meos, ita ut omnia opera, verba, & cogitationes meæ fiant, & ſint ſecundum voluntatem tuam, & propter purum amorem tuum.

In æternum id volo, quod tu ab æterno de me decreviſti. Vivat ſemper & regnet ſuper me æternum tuum beneplacitum. Domine verte me quo vis, gira, & regira, fac de me quod tibi placet: & ſi repugnabit infirmitas mea, non audiat bonitas tua.

Oderit me, Deus, omnis creatura, omnis homo me conculcet, & deſpiciat. Tu ſolus me diligas, te ſolum omnes diligant, qui ſolus amore dignus es. Fiat hic de me juſtitia, & judicium, ut illic reſervetur mihi miſericordia tua.

Amor meus, Deus meus, utinam nihilum meum in immenſo, & infinito oceano eſſentiæ tuæ tanquam guttula in mari ſubmerſum, & diſperſum nullibi reperiatur extra te.

Exeam Domine à mundo, ejuſque concupiſcentiis, exeam à me ipſo, ut in te ſolo ſubſiſtam. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam?

Trahe me poſt te, Deus meus, quia nemo poteſt venire ad te, niſi tu traxeris eum. Trahe me magna, & efficaci gratia tua, & curram ad te.

Pater meus es tu Domine, & ego filius tuus. Da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit. Sed portio mea tu es, Deus meus: aliam non quęro, nec admitto. Illabere cordi meo, & omnibus potentiis meis, Deus vita mea, & amor meus, ut intimè tibi unitus tua ſemper tuitione protegar ab impetu inimicorum meorum.

Domine Jeſu, qui pro me ludibrio haberi, pati, & mori voluiſti; etſi poſſem divitiis abundare, nolo, quia tu pauper fuiſti: ſi poſſem ab omnibus honorari, nolo, quia tu ſperni voluiſti: Quicquid mundus avidè amplectitur, deteſtor, & abominor propter te, qui Crucis ignominiam pro me amplexus es. Moriar hodie mihi ipſi, ut in te vivam Deus meus; ſit vita mea cum Chriſto abſcondita in te: ſintque omnes affectus mei cum Chriſto in te ſepulti.

Do tibi Domine, & offero cor meum, ut illud impleas amore tuo, & ſapientia tua, ut ſecundum te vivam & in te, & tu ſolus regnes in me.

Omnia jura libertatis meæ in manibus tuis fideliter resigno, ut ea utaris secundum beneplacitum tuum in tempore, & in ęternitate. Sive me velis abundare, sive penuriam pati; sive vivere, sive mori; fiat voluntas tua.

Amo te Deus meus, quantum possum: quantum gratiâ tuâ mihi largiris, & gaudeo quòd infinitè amabilis es.

CAPUT II.

DE HIS QVÆ QVOTIDIE occurrunt.

§. I.

De singularum actionum perfectione.

IN hoc sita est potissima ratio profectus tui, si ea quæ quotidie occurrunt justè, & sanctè peragas. Vita enim spiritualis nihil aliud est, quàm series quędam, & catena bonarum exercitationum à mane usque ad vesperam, & à vespera usque ad mane. Facit ad hanc rem Scriptura dicens: *Mandatum hoc quod*

ego præcipio tibi hodie non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere. Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & corde tuo, ut facias illum. Non ergo consistit perfectio in multiplicatione operum sublimium, & extraneorum, sed in his quæ quotidie agis optimè, & secundum virtutem exercendis. *Iustè quod justum est persequeris.*

Ad hoc autem ut opera tua plena, & perfecta coram Deo inveniantur, juvabunt hæc documenta.

Primò distribuendum est tempus, & singulæ actiones ita ordinandæ sunt, ut quantum fieri potest, omnia suis horis peragantur. Cave ne multitudine, aut nimia frequentia exercitiorum te obruas, sed exempla Sanctorum imitare, quorum semita ut lux splendens paulatim crescebat, usque ad perfectam diem. Sint apta statui, ætati, & profectui tuo, & quæ semel elegisti, ne facilè mutes. Dedecet inconstantiam, & nocet crebra mutatio.

II. Omnia propter Deum recta, & simplici intentione agenda sunt, omni alio

alio fine excluso, ne fiant hostes tui in capite, & à prava intentione totum opus polluatur. Difficile est omnem gloriæ cupiditatem, omnes humanos respectus, omnem sui quæstionem excludere, & Deo tantùm judice contentum esse: ideo ante quodlibet opus subsiste paulisper, nec ab uno ad aliud transi sine prævia aliqua consideratione, qua ipsum opus ad Deum referas, & ad solam gloriam ejus.

III. Cave ne in progressu operis impuritas aliqua subrepat, ne tristitia, vel impatientia ob laborem, ne delectatio, vel propria satisfactio permisceatur, & voluptatis gratia expleas, quod propter Deum incæpisti. Quapropter miscendæ frequenter aspirationes, sive orationes jaculatoriæ, quibus anima elevetur ad Deum.

IV. Permagni interest omnia facere coram Deo presente, & vidente, ejusque auxilium jugiter implorare. Nihil enim à te ipso potes, & ab eo pendet, velut radius à sole, & malleus ab artifice. Ipse est qui operatur omnia in omnibus, ipse vires agenti subministrat.

V. Monet sapiens, ut in omnibus ope-

ribus tuis pręcellens ſis. Id aſſequeris ſi omnia feceris cum debita omnium virium mentis, & corporis applicatione, ſerio conatu, & omni meliori modo, quo fieri poſſunt: ſi nihil obiter, nihil perfunctoriè aggrediaris, nec ullam quamtumvis minimam actionem negligas, nihil enim minimum eſt quo ingentem Deo gloriam reddere, & magnas tibi divitias comparare potes: ſi denique attentus ſis non ſolum ad opus, ſed ad omnes ejus circumſtantias, quia bonum eſt ex integra cauſa; malum ex quocumque defectu.

VI. Cum pretium actionum externarum potiſſimum pendeat ex actibus internis intellectus & voluntatis, in omni prorſus actione pręcipua eorum ratio habenda eſt! Ex parte intellectus prærequiritur circumſpectio, & pręconſideratio, qua prævideas, in quo perfectio cujuſque actionis conſiſtat, quis ſit ejus finis, quis modus, qui defectus in ea committi ſoleant, quomodo præcaveri poſſint. Ex parte voluntatis exigitur vehemens deſiderium propoſitum opus perficiendi, promptitudo in operando, magnanimitas in removendis difficulta-

tibus, constans deliberatio evitandi omnem defectum, & ad executionem seria omnium facultatum applicatio.

VII. Circa exteriora ita occupari par est, ne devotionis internæ spiritus extinguatur. Imò cum operibus externis semper conjungere oportet actus internos diversarum virtutum, atque sic efficere, ut materialiter, & formaliter bona sint, & conformia operibus electorum Dei, quorum omnis pulcritudo ab intus.

VIII. Cum aliquid agendum est, illi dumtaxat operi corpore, & mente incumbe, quod præ manibus habes, omni vel minima de ceteris cogitatione, vel cura posthabita; nam omnia tempus habent, & sufficit diei malitia sua. Astus diaboli est injicere de futuro opere solicitudinem ut sic præsens male fiat. Accedit quod naturaliter actio futura trahit attentionem, & majorem facit in mente impressionem, nisi solerter tibi ipsi attendas. Age quod agis tranquillè, nec te præcipites in opere, ut ad aliud festines. Operare modestè, cum hilaritate, sine strepitu, & perturbatione, ac si nihil aliud restaret agendum.

IX. Semper ante oculos versari debet ultimus dies, atque ita unumquodque opus perficiendum, ac si illud postremum foret. Considera an sic ageres, si statim mori deberes. Tibi semper æternitas in mente sit, cui laboras, ad quam pergis. Operibus tuis vel januam tibi à pœnis felicissimæ æternitatis, vel quibusdam quasi seris, & vectibus claudis.

X. Cave ne in fine operis boni venenum ei dæmon inspergat, qui observat calcaneum tuum. Gratias Deo age, à quo omne bonum procedit, ipsique non tibi gloriam adscribe, ne dicas cum impiis: *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia*. Agnosce te servum inutilem esse, & cum intimo humilitatis sensu veniam de commissis defectibus deprecare.

XI. Opere peracto ne de aliorum judicio solicitus sis, nec turberis si res minus prosperè successit. Deus enim non tam spectat quid factum sit, quàm quomodo, & qua intentione. Gaude potius de confusione tui, si qua fuit, & culpam detestare cum proposito emendationis.

XII. Te ipsum denique, & omnia ope-

ra tua offeras Deo in unione illius oblationis qua Christus Dominus seipsum obtulit Patri, dum nobiscum in terris viveret. Tuas orationes ejus orationibus, tua jejunia ejus jejuniis, tuas afflictiones ejus passioni, atque omnes prorsus operationes tuas operibus ejus adjunges, considerans j im hęc omnia ab ipso Christo unà cum suis operibus Deo Patri oblata fuisse: & ideo cum ejus oblatione tuam etiam concludes ex utraque unam faciens, quia ipse est via per quam itur ad Patrem.

§. II.

De lectione spirituali.

1. SIcut vita corporalis absque cibo materiali & corruptibili produci nequit, & conservari, ita proxima morti est anima, quæ cibo suo, lectione scilicet spirituali destituta est. Non in solo pane vivit homo, ut Christus docet, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Et Apostolus, Omnis scriptura, inquit, divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut per-

fectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Sunt enim libri ſpirituales myſtica illa menſa, quam divina ſapientia propoſuit in domo, quam ſibi ædificavit, abundans pane, & vino; doctrina ſcilicet, & affectibus, quibus anima nutritur, creſcit, & roboratur.

II. Delectus librorum habendus eſt in tanta eorum multitudine: nec enim ſufficit pios, & bonos legere, ſed debent præterea tuo inſtituto, genio, ſpiritui, & capacitati eſſe conformes; ita omnia, quæ leguntur, ad propriam vivendi normam dirigantur.

III. Certa hora diei huic lectioni aſſignanda, quam pręterire nefas ſit. Differri quidem aliquando poterit, ſi quidpiam neceſſarium hora lectioni deſtinata omnino peragendum ſupervenerit, nunquam tamen omitti debet. Seligenda autem erit hora aliqua matutina, quę utilior, & commodior erit, & aliis occupationibus minus obnoxia.

IV. Ante lectionem brevi oratione prępara animam tuam, ut Deus, & Dominus noſter adaperiat aures cordis tui, quatenus poſſis diſcere quæ recta ſunt, & ea opere complere. Tum eam aggre-

dere pura intentione Deum clariùs cognoſcendi, ardentiùs amandi, ſtudioſiùs illi ſerviendi in omni ſanctitate, & juſtitia. Anhela ad illam magno ſenſu pietatis, & fervoris, tanquam ad epiſtolam divinæ voluntatis interpretem tibi exuli è patria cœleſti miſſam parato animo ad ejus juſſa & conſilia exequenda.

V. Eo ſpiritu legendi ſunt libri ſancti, quo ſunt conſcripti, ſpiritu nimirum charitatis, pietatis, & utilitatis, non ut doctior, ſed ut melior evadas. Ad hunc finem eos ſancti viri divinitus inſpirati compoſuerunt, ut ſint tibi quaſi ſpeculum, in quod reſpiciens anima ſeipſam agnoſcat & emendet.

VI. Non multos libros perfunctoriè, ſed paucos legito accuratè, cum debita mora, tractim, & quieté, ut divinæ illuſtrationi, & inſpirationi locus relinquatur.

VII. Fortuita lectio in triſtitia, tentatione, dubietate ſæpe opportuna fuit. Sic ſanctus Auguſtinus aperiendo librum in aptum ſibi locum incidit: *Non in commeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, &c.* Verùm extra ſimilem occaſionem vitanda eſt,

quia diſſipat, & non ædificat. Inchoandus autem ab initio eſt liber, nec dimittendus donec ex integro per ordinem abſolvatur.

VIII. Inter legendum divinis inſpirationibus aditus pateat, ut ſolidarum virtutum deſideria concipias. Idcirco ſæpe hauriendus de lectionis ſerie affectus, & formanda ex lectione oratio, crebræque ad Deum & ſanctos inſerendæ aſpirationes, quæ lectionem interrumpant, & non tam impediant interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam ſectionis reſtituant.

XI. Semper aliquid de lectione notatu dignum excerpe, & libello ad hoc parato excipe, quod memoriæ fideliter mandetur, crebriùs ruminetur, ignem devotionis interdiu foveat, & detineat animam ne aliena cogitet. Ipſam verò lectionem brevi gratiarum actione concludes, Deique auxilium implora ad id rectè obeundum, quod propoſitum, & conſtitutum eſt.

§. III.

§. III.

De studio literarum.

INter adiaphoras Religiosorum occupationes vix aliqua laudabilior reperitur, quàm studia literarum. *Dum enim secularibus literis instruimur*, ait Gregorius Magnus, *in spiritualibus adjuvamur.* Et Oseas Propheta, *Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam*: & *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

1. Ut autem studiis tam humanarum, quàm divinarum scientiarum optimè utaris, scito in primis id tibi cavendum esse, ne ingenio, & doctrina abutaris ad superbiam, arrogantiam, contemptum aliorum, vanitatem, curiositatem, & neglectum pietatis ac disciplinæ. Perversum est studium, quod officit orationi, ad quam omnis scientia dirigi debet. Religio non schola literarum est, sed præcipuè, ac ferè unius virtutis. Sancti Viri, qui doctrina maximè claruerunt, ita studio incumbebant, ut tamen scirent plus sibi esse ab oratione luminis, & sapientiæ expectandum. Memor ita-

que finis, & scopi studiorum tuorum omnino tibi persuade spiritum cum literis, & virtutem cum scientia non solùm conjungendam, sed longe esse præferendam: ideoque res spirituales exactè primo loco quærendas, tempusque optimum illis tribuendum: nam scientia, quæ pro virtute despicitur, per virtutem postmodum melius comparatur.

II. Purè propter Deum studere debes, ut ipsum magis amare discas, & proximo prodesse possis; præcisa omni sinistra intentione propriæ æstimationis, delectationis, curiositatis, naturalis propensionis, aut commodi alicujus temporalis.

III. An pura intentione feraris ad studia, his indiciis dignosces. Si non intempestivè, non nimis fervidè, sed devotè, & cum magna mentis tranquillitate ea aggrediaris: Si nullam propter ipsa orationem omittas, nullam tui instituti regulam negligas: si inter studendum sæpe ad lumen ęternum confugias; Deum, Angelos & sanctos invoces, & consulas, atque ad Deum à creaturis ascendas: si post studia oratio, & colloquia de Deo sapiant: si humiliter de te

loquaris totum Deo tribuens, nec te de ingenio, facilitate, & plauſu jactes.

IV. Media efficaciſſimæ proficiendi in ſcientiis hęc ſunt. Indefeſſum ſtudium majoris puritatis, & tranquillitatis conſcientiæ, & ſolidioris perfectionis. Aſſiduum exercitium mentalis, & vocalis orationis. Uſus mortificationis in tædio vincendo, qui in ſtudiis occurrere ſolet: in ſuperanda repugnantia ſe humiliandi: in coercenda nimia curioſitate, & aviditate ſciendi: in frenando appetitu laudis, & oſtentandæ eruditionis. Seria denique applicatio, & accurata obſervatio ordinis, & diſtributionis temporis, atque modi ſtudendi.

V. Cum magna diffidentia tui, & confidentia in Deo cujus amore ſtudes gratiam proficiendi in literis ſecundum ejus beneplacitum obnixè pete per merita Chriſti, & Sanctorum internis ſuſpiriis, & aſpirationibus, aut brevi aliqua oratione vocali.

VI. Cave duo extrema, nimiam ſcilicet propenſionem ad ſtudia, & inordinatum excellendi deſiderium cum diſpendio devotionis, humilitatis, & valetudinis: & nimiam è contrà atque in-

discretam propensionem ad pietatem cum studiorum detrimento. Suum utrique exercitationi tempus tribuendum est, exemplo Sanctorum, qui utrumque studium eximio cum profectu semper continuarunt.

§. IV.

De corporali Refectione.

1. SEmel in die cum jejunamus, bis ceteris diebus corporalem sumimus refectionem. Sic autem sumi debet, ut dum reficitur corpus, mens quoque reficiatur. Et primò quidem cùm signum refectionis datur, eam esse vocem existima Domini Jesu vocantis te, & invitantis ad prandium: cui respondebis, *Ecce venio, Domine, gratias tibi agens quia me dignatus es ad tuas epulas invitare. Tu me cibis tuis benignè pascis, qui nec bucellam quidem panis mereor. O! immensam vim benignitatis tuæ qua vilissimum servum pœnis dumtaxat dignum tot bonis cumulare non cessas! ô quanti pauperes fame pereunt, cum mihi indignissimo nihil desit! Da mihi Domine operari non cibum qui perit,*

sed qui permanet in vitam æternam.

II. Ducat te ad mensam necessitas, non concupiscentia, ne similis sis jumentis insipientibus. Excita compunctionem, considerando fel, & acetum Christi, & Sanctorum mortificationem: Excita timorem, quia in medio laqueorum es, laqueos manducas, & bibis: Excita gratitudinem, & amorem erga Deum ob cibum tibi præstitum in tempore opportuno.

III. Aspira ad Deum & dic: *O si tam devotè, temperanter, modestè vires corporis reficere possem, ô bone Iesu, sicut tu olim in terris! Desidero id ardenter & purè ad majus tuum obsequium, & beneplacitum, meumque & proximorum emolumentum impensius procurandum. Tu qui nosti fragilitatem meam in reprimenda gulæ concupiscentia, adjuva me, & perfice desiderium meum. Da mihi veram temperantiæ virtutem, tu qui felle, & aceto potatus fuisti, & quia corpus, quod corrumpitur corruptibili cibo sustentari præcipis, da sic ei necessaria dare, ut nec improbè insolescat ex vitiosa superfluitate, nec deficiat in servitio tuo ex indiscreta parcitate. Inspira con-*

gruum moderamen, ne, cùm terra de terrenis ſuſtentatur, Dominus terræ, à terra ſua provocetur ad iram. Da corporis vires ita reparare, ut tam mentis, quàm corporis caſtitas nullum patiatur detrimentum.

IV. Inter edendum leges modeſtiæ, & temperantiæ ſerva. Quantum cibi ſumendum ſit ànimo libero ante menſam præfinias, & ſi te gula tentaverit ex ſtatuta menſura aliquid ſubducito. Omnia fercula, ac ſi tibi de cœlo miſſa ſint, accipe ſine murmuratione. Omnes buccellas ſanguine lateris Chriſti intinge; & ſi quid contingat inſuave, felle Chriſti condi. Cum bibis, ſuſpira ad Deum, ſicut cervus ad fontes aquarum.

V. Dum corpus edendo reficis, animo quoque ſuum prebe alimentum vel piis colloquiis, vel lectione ſpirituali, cui diligenter attendes, ſelectiora obſervans, & congruos ex ea affectus eliciens.

VI. Tuæ refectioni ſemper aliquem actum mortificationis intermiſce, cujuſmodi ſunt: aliquid sẽper ex appoſitis in quę immoderatiùs fertur appetitus, quantumvis modicum ſenſualitati ſub-

trahere, & Christo relinquere: strictè sensus custodire, oculos ab evagatione, linguam à jocis, & verbis otiosis, vultum à risu, totum corpus ab omni motu inordinato. Semper à mensa cum aliqua fame recede, ita ut post refectionem legere, vel orare possis sine gravi incommodo, & difficultate.

VII. Initio mensæ consuetam benedictionem, & in fine gratiarum actionem graviter & devotè persolve. Et quia rarò debita mensura servatur, nec ullus est adeo accuratus, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis; de hoc aliisque defectibus discussa breviter conscientia, veniam pete, & propone deinceps solidam emendationem.

§. V.

De externa conversatione.

QUoniam vix fieri potest, quin sæpe per diem cum hominibus converseris, satagendum est, ut talis sit conversatio tua, quæ omnibus prosit, nemini obsit: sicut scriptum est: *In omni conversatione vestra sancti sitis.*

Prima autem ejus conditio est mode-

ſtia, quæ decorum ſervat in motibus, geſtibus, & exteriori compoſitione. Ad hanc magnopere conducit timor quidam, & laudabilis pudor, qui te in officio contineat, & ſemper revocet ab omni impudentia, procacitate, effuſione, & libertate. Ejus actus ſunt veſtes mundas habere, quietas manus, faciem hilarem, frontem ſerenam, demiſſos oculos, gravem inceſſum, ſermonem placidum, riſum diſcretum, mores ingenuos, totumque corpus ita compoſitum, ut nihil appareat in te, quod poſſit offendere intuentes. Atqui hoc mirabile eſt videri, & prodeſſe, ſoloque aſpectu allicere videntes ad pietatem. Porrò vera modeſtia ex interna morum gravitate procedit.

Secunda conditio eſt ſuavitas, ſive benignitas. Nihil enim tam facilè illabitur humanis ſenſibus, animoſque conciliat, quàm comitas, affabilitaſque ſermonis, honor verborum, & morum facilitas. Quicquid honoris, & reverentiæ ſibi invicem exhibent ſeculares in externa vitæ conſuetudine, id tibi etiam uſurpandum, ſed longè diſpari ratione. Nam apud illos nihil aliud hæc ſunt, quàm

verborum lenocinia, & formulæ quædam urbanitatis, & politici obſequii: apud te actus erunt virtutis, & charitatis. Quàm ſancta, & innocenti obſervantia ſancti Patres Antonius Magnus, & Paulus primus Eremita adinvicem contendebant in partitione panis, cùm alter alterum honore prævenire, & neuter cedere vellet! Hoc fomentum fraternæ charitatis eſt, & conſcientię bonæ ac animi illuſtris evidentiſſimum teſtimonium deferre aliis honorem, & mutuis officiis decertare. Superiores itaque tanquam Chriſtum alloquere, ęquales ſicut fratres cariſſimos, inferiores ut filios. Sit converſatio tua ſuavis, hilaris, ſeria, pura, tranquilla, ſerena, quæ nec aulicismum redoleat, nec ruſticitatem. Sit gravis ſine ſeveritate, lęta ſine diſſolutione, humilis ſine abjectione, plena candoris, & gratiarum, expers inſolentię & levitatis. Hac autem lege prohiberis evitare nugas, jocos, aſſentationes, & quicquid religioſæ gravitati detrimentum afferre poteſt.

Tertia eſt prudentia, quæ lucebit in converſatione tua, ſi apta, & proportionata fuerit iis, cum quibus verſaris;

aliter enim cum potentibus aliter cùm humilibus agendum eſt: aliter cum viris, aliter cum mulieribus: aliter cum doctis, aliter cum ignaris. Si conveniet ætati, ſtatui, conditioni, & capacitati tuæ: nam quędam juvenem decent quæ ſeni dedecori forent: quædam ſecularibus licent, quæ Religioſis infamiæ notam inurerent. Noſce etiam, & conſerva tempus. Sit ſermo ſuavis, brevis, & pondere plenus. Diſceptatio, ſi neceſſaria fuerit, ſine ira ſit, monitio ſine aſperitate, hortatio ſine offenſione. Denique imitare Apoſtolum, qui omnia omnibus factus eſt, ut omnes ſalvos faceret.

Quarta demùm eſt utilitas. *Vena vitæ os juſti*, ait Sapiens. Et vir quidam eximius dicebat, Tales eſſe oportere Religioſos, ut ab illis abirent homines percutientes pectora ſua, & dicentes, *Verè filii Dei ſunt iſti*. Veteres ſane Philoſophi profitebantur ſuo ſe conſortio homines facere meliores. Ita & tu, ſi verè Religioſus es, optimi ſervi Dei partibus fungere. Trahe ad Dominum quoſcumque potes, ſit omnis narratio tua in pręceptis Altiſſimi, nec permittas quempiam à te diſcedere ſine aliquo ſpirituali

emolumento. Patiens esto ad omnes: & si quis te spernat, si quis contradicat, si quis verba proferat acerba, inepta, puerilia, si acerbis moribus sit prędítus, & ingenio refractario, cave ne eum contristes, sed te suaviter omnibus accommoda, ut omnes lucreris. Omnium dicta, & facta in meliorem partem interpretare, quantum licet, aliorum infirmitati condescende. Animum non prorsus effundas, sed collige interdum, & piis affectibus ad Deum eleva, quem semper pręsentem mentis oculo intueri debes.

§. VI.

Praxis divinæ præsentiæ.

INstrumentum efficacissimum ad assequendam omnem perfectionem, & quasi fundamentum vitæ spiritualis, est Deum jugiter pręsentem mentis oculis contemplari. Nullum exercitium hoc pręstantius, nullum utilius. Purgat, & retrahit à peccatis, contemptum parit rerum humanarum, sensus corrigit, mentem sanctificat; & est quædam in terris repręsentatio cœlestis beatitudinis, in qua Beati perpetua Dei visione

perfruuntur. Sicut nullum eſt momentum, quo non utaris, vel fruaris Dei bonitate, & miſericordia, ita nullum oportet eſſe, quo eum præſentem non habeas: nec tam ſæpe reſpirare debes, quàm Dei meminiſſe.

1. Triplex autem eſt modus, quo Deum potes præſentem concipere in omni loco, quorum primus dicitur imaginarius, alter intellectualis, tertius affectivus. Primus imperfectus eſt, fitque vi imaginationis, cujus maxima fingendi poteſtas eſt. Hoc modo contemplare potes, & præſentem ſemper habere Chriſtum Dominum in aſſumpta humanitate, ſive jacentem in præſepio, ſive ſpinis coronatum, ſive crucifixum, vel reſurgentem, aut aſcendentem in cœlum qui ante te ambulet, te videat & conſideret, omnes actus, ſermones, & cogitationes obſervet. Cavenda ſunt tamen pericula quę in hoc pręſentiæ modo occurrere poſſunt, ne videlicet corpus lædas, dum vim nimiam adhibes in his imaginibus efformandis, & contrariis diſtractionibus repellendis, aut periculum incurras illuſionum, dæmone efficiente, ut te credas realiter videre; quod

imaginaris. Adde quod huic modo non tantùm insistere non debes, ut fias inhabilis ad alios meliores & magis spirituales.

II. Secundus modus perfectior fit per intellectum concipiendo Deum ubique præsentem per essentiam, præsentiam, & potentiam. Cœlum enim & terram implet sua immensitate, & verè ubique est sanctissima Trinitas, adeo ut si lumen gloriæ adesset, hic beatus esses: omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus, tuumque cor, & renes scrutatur: omnia movet, sustentat, & regit in pondere, numero, & mensura, modo, specie, & ordine, substantia, virtute, & operatione; origine, decursu, & termino; & omnia in omnibus operatur. Et quomodo non timebis, & amabis eum, cùm omnia opera sint velut sol in conspectu ejus? Quæcumque facis, ille miliùs videt, quàm tu qui facis.

III. Tertius modus perfectissimus est per actus ferventissimos amoris, per intimam cum ipso unionem, ratione cujus intra teipsum Deum respicis existentem cum omnibus suis attributis, perfectionibus, gloria, majestate;

omnipotentia, idque magis intimè quàm ſit anima tua in corpore tuo. *An neſcitis,* inquit Apoſtolus, *quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt?* Adorna igitur animam tuam, & fac eam idoneam Dei omnipotentis habitationem: ibi decenter, & familiariter cum eo age. Quid vagaris extra te ipſum ad bona apparentia creaturarum, cùm in te ſit fons indeficiens omnium bonorum? Quid dies expendis quærendo Deum tanquam abſentem, cùm ipſum præſentem habeas? Quære eum intra teipſum, tutius enim eſt, quàm eum quærere in creaturis, quarum externa ſpecies ſæpe te allicere, & impedire poteſt, ne ad Creatorem, qui eſt intra illas, ingrediaris.

VI. Si nondum mentem purgaſti ab affectu rerum caducarum: aut ſi ratione officii variis occupationibus diſtraheris, faciliùs erit, tibi Deum præſentem venerari in omnibus rebus in converſando, ambulando, aſpiciendo, audiendo, guſtando, cogitando, & in omni actione tua; in ſingulis hominibus, in ſuperioribus, inferioribus, æqualibus; in herbis, floribus, arboribus; in beſtiis terræ, &

volucribus cœli; in fontibus, & fluminibus, in montibus, & collibus, in aëre, & igne; in ſole, luna, & ſtellis: nam revera in omnibus eſt Deus dans unicuique eſſe, vivere, & moveri. Quidam omnia, quæ audiebat, & videbat, ad Chriſti paſſionem referebat. Si clamor occurreret, aut tumultus, vel ictus malleorum: Si ſcalas aſpiceret, aut ligna, aut lanceas, aut clavos, aut aliud quidpiam; ex omnibus occaſionem captabat Chriſti paſſionem grato animo recolendi.

V. Quocumque autem modo Deum præſentem conſideres, crebris ad eum aſpirationibus tanquam ad finem tuum aſſurgendum eſt, eliciendo actus fidei, ſpei, & charitatis, & ad ejus unionem ſuſpirandum, tum ſtudendum eſt puritati cordis, ſcriptum eſt enim: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: denique aliquo ſigno exteriori exercitanda mens eſt ad ipſius memoriam; cujuſmodi ſunt pulſus campanæ, vel horologii, filus, ſive annulus digito vel catenula bracchio adſtricta; inſcriptum parieti hoc lemma, *Vbique Deus*, & alia ejuſdem generis; ne ingruentibus diſtractionibus Domini Dei tui non

ſine magno animæ detrimento obliviſcaris.

VI. Licèt Dei præſentis memoria ſemper neceſſaria ſit, quia tamen pluri-mæ ſunt humanæ mentis evagationes, eam ſaltem aliquoties in die omni ſtudio renovare debes, nimirum ſummo mane, initio orationis mentalis, & vocalis, cùm imminet aliqua peccandi occaſio, exemplo Joſeph, & Suſannæ, ante quælibet virtutis opera, cum è domo egrederis, ante examen, & cubitum, & cum noctu expergiſceris.

VII. In hoc exercitio affectui magis inſiſtendum eſt, quàm ſpeculationi; copioſior enim fructus ex ignitis cum Deo colloquiis, quàm ex conſideratione refertur: imò ex affectu plurima conſideratio velut ex fonte promanat. Crebra autem, & humili oratione cum charitate hoc donum impetrabis. Orabis igitur, & dices. *Quo ibo à ſpiritu tuo, Domine Deus meus, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades: neque te cœli cœlorum capere poſſunt. O quàm cæci ſumus filii hominum, qui te Dominum præſentem non veremur, neque tuo*

tuo aſpectu componimur, neque à peccatis patrandis deterremur! Ergo-ne credo te hic, & ubique præſentem eſſe, & omnia opera mea, atque intimas cogitationes perſcrutari, nihilque occultum eſſe oculis tuis? Certè ſi crederem, non auderem te audiente, & vidente ea facere, loqui, & cogitare, de quibus in conſpectu hominum erubeſcerem. Quanta enim puritate, ô puritas infinita, coram te enitere debeo, in cujus conſpectu cœli non ſunt mundi, & in cuius faciem ſupremi ſeraphici ſpiritus reſpicere non præſumunt? Audio tamen te dicentem, Ambula coram me, & eſto perfectus; & ideo fiduciam habeo orandi ad te, ut non abſcondas faciem tuam à me, neque declines in ira à ſervo tuo. Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum, ita oculi mei ad te, donec mei miſerearis. Reſpice in me, & miſerere mei, & oſtende mihi faciem tuam. Faciem tuam Domine requiro; ne avertas eam à me. ſed fac miſericordiam cum ſervo tuo, ut ſemper ambulem coram te in hac peregrinatione, teque in patria perfruar in æternum. Amen.

§. VII.

Praxis rectæ intentionis.

1. Recta intentio illa dicitur, quæ operis sui finem constituit Deum, & ad ejus honorem, & gloriam revocat quicquid fit, dicitur, & cogitatur. Sicut respiratio vitæ naturali, sic recta intentio vitæ spirituali necessaria est. Ea est anima, & forma omnium actionum: nam qualis intentio, talis est actio. Si quis jejuniis, flagellis, aliisque pœnalitatibus affligat corpus suum non propter Deum, sed ut gloriam accipiat ab hominibus, nihil ei prodest. Si eodem fine ad extremos Indos pergat, omnesque ibi infideles multùm laborans convertat ad Deum, factus est velut æs sonans, aut cimbalum tinniens. Ut enim docent sancti Patres, Martyrem non facit pœna, sed causa. Bona intentio parva extollit, & illustrat; magna autem, & in pretio habita prava intentio dehonestat. Ne igitur opera tua impura, & vacua in conspectu Dei inveniantur, puritati intentionis omni conatu insiste; nec quidpiam vel minimum aggredere, quin

prius actu ad Deum referas, tanquam ad primum principium, & ultimum finem tuum. Species quædam Idololatriæ est, Deo præsenti dorsum vertere, & faciem ad idolum, ad aliquam scilicet creaturam, vel propriam voluntatem, aut proprium commodum convertere, Deo neglecto, & ejus voluntate.

II. Tua autem opera triplici intentione ad Deum referre potes, ut pœnam evadas, ut præmio potiaris, & ob purum amorem ipsius Dei. Prima est servorum, secunda mercenarios spectat, tertia ad filios. Prima bona est, melior altera, tertia optima: hac enim in Deum tendis, & ad ipsum omnia dirigis, ut ei placeas, ipsumque honores, ut ejus voluntatem adimpleas, & ut iis, quæ agis, te ad intimam cum illo unionem disponas. Illa verò purissima intentio est, quam Deiformem vocant, quæ nihil proprium in voluntate relinquit admixtum, ipsamque penitùs, omni humana affectione abjectâ, in Deum transfundit.

III. Signa rectæ intentionis hæc sunt. Non turbulenter rem aggredi, non anxium esse, non distrahi, non perturbari, ob rei eventum minus prosperum non

affligi, nec aliorum judicia anxiè quærere; omni vana cogitatione post factum carere, opiniones hominum contemnere, æquè diligenter omnia facere, sive publicè, sive privatim fiant; sive multi sint spectatores, vel auditores, sive pauci; nec laudibus extolli, nec vituperiis dejici; resignatum ad omnia esse, nihilque optare, nihil timere.

IV. Quia Deus tanquam prima causa, & primum principium naturæ, & gratiæ tecum concurrit ad omnes actiones tuas, nec quidpiam sine illo potes operari, quin ipse in te omnia opera tua operetur; perfectissimæ intentionis genus erit in singulis operationibus tuis easdem intentiones assumere, quas sapientissimus Deus tecum, & in te operando habet, sic mentem ad eum dirigendo. *Domine Deus meus hoc opus aggredior, & perficere intendo ob eosdem fines, propter quos tu idem operaris: ad eundem scopum mentis oculos dirigo, ad gloriam tuam, & amorem tuum, & ut omnis voluntas tua fiat in cœlo, & in terra. Utinam hunc scopum semper attingam ea rectitudine, quam ego desidero, & tu mereris.*

V. Sed quia difficile eſt, etſi ſummum conatum adhibeas, hunc actum elicere, quin ob multiplicem humanæ naturæ fragilitatem, & corruptionem multis imperfectionibus permixtus ſit; remedium illarum efficaciſſimum, & Deo gratiſſimum erit tua quælibet opera, verba, & cogitationes, operibus, verbis, & cogitationibus Domini noſtri Jeſu Chriſti unire; ut in ſanguine ac meritis ejus purificentur, & perficiantur. Sic autem unita, & purificata offeres Deo Patri in odorem ſuavitatis.

VI. Tecum expende quid ſit quod ames in ſingulis actionibus tuis, illudque abnega, ne vitiet intentionem. Conſidera deinde monitum illud Chriſti, *Quoniam oportet ſemper orare, & non deficere*; hoc enim non aliter ſervare potes, quàm mediante recta intentione. Semper orat, ait quidam Sanctorum, qui ſemper bene agit: bene autem ſemper agit, qui per rectam intentionem omnia opera ſua ad Deum refert. Cùm dormis ſemper orabis, ſi ante ſomnum hunc actum præmittas. *Cupio mi Deus, ut me dormiente ſingulæ reſpirationes meæ te laudent, & glorificent*; *ac ſi affe-*

ctu omnium Angelorum, & Sanctorum semper dicerem, Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ. Simili modo cùm manducas singulas buccellas, singulos haustus offer Deo, ac si singulis diceres, *Benedictus Deus.* Cum legis, aut scribis, offer eadem ratione singulos characteres, ac si singuli magna voce clamarent, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Idem in reliquis faciendum.

VII. Assertio est doctissimorum Theologorum multiplicatis solis intentionibus posse merita singulorum actuum multiplicari, ita ut uno opere decem, vel pluribus intentionibus instructo tantum mereri possis, quantam eodem illo decies, vel pluries repetito. Cùm igitur aliquid inchoas, sic dirige intentionem. *O bonitas infinita Deus meus hoc agere vel pati volo eodem affectu, spiritu, & intentione, quibus Christus Filius tuus operabatur in terris, primò ut tibi omnem laudem, cultum, honorem, & gloriam tribuam, quibus debeo te venerari. 2. Vt faciam voluntatem tuam. 3. Vt protester omnimodam mei subiectionem, & dependentiam à te. 4. Vt meritum ac præmium*

æternum, quantum est in me, augeam. 5. Vt quotidiana corporis, & animæ bona impetrem. 6. Vt dimittas mihi peccata mea. 7. Vt ab omni malo culpæ, & pœnæ liberer. 8. Ad honorem, & augmentum gloriæ Beatæ Virginis, sanctorum Angelorum, & omnium Beatorum, præsertim tutelarium meorum. 9. Ad utilitatem meam, omniumque amicorum, & inimicorum meorum, & totius Ecclesiæ Militantis. 10. In auxilium fidelium defunctorum 11. In gratiarum actionem pro infinitis beneficiis mihi, & omni creaturæ collatis. 12. Vt superem tale vitium tua gratia adjutus. 13. Vt talem virtutem mihi necessariam consequar. 14. Vt aptior reddar officio meo. 15. Vt sic imiter Christum, & sanctos ejus. 16. Vt crescam, & perseverem in bono. 17. Vt sim aliis bono exemplo. 18. Vt vota mea reddam, quæ promisi tibi. 19. Vt lucrer indulgentias tali rei annexas. 20. Vt bonam mortem obtineam. 21. Vt tale beneficium, quod peto à te, impetrem. 22. Vt tibi magis placeam, & accuratiùs serviam. 23. Vt Ecclesiæ, vel superiori hoc præcipienti obediam. 24. Vt pro peccatis meis satisfaciam. 25. Vt meum in te

amorem augeam. 26. Vt contra diaboli tentationes, & insidias muniar. 27. Vt aliquid patiar pro amore tuo. 28. Vt ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum dignè suscipiendum me præparem. 29 Vt proximum meum adjuvem, & ædificem. 30. Vt ad intimam tecum unionem me disponam.

VIII. Plures intentiones sigillatim suggeret cujusque operis natura, & circumstantiæ. Non omnes autem, quæ supra descriptæ sunt in omnibus haberi debent, aut possunt; sed illæ quæ magis unicuique operationi congruere videbuntur. Vespere in fine examinis considera diem, & opera abiisse, & quanta cor tuum lætitia perfunderetur, si ea fecisses pura intentione? Opta igitur omnia te fecisse ad majorem Dei gloriam, renova propositum rectæ intentionis, & die sequenti eam sæpe restaura, mane præsertim ante sacrum, ad cujusvis laboris, & actionis initium, ad horas singulas, & ante somnum. Res ista facillima est, & in tua potestate posita: quid enim faciliùs, quàm mente ad Deum elevata dicere: Hoc propter te Domine, ad gloriam tuam? Parva res est, sed ingens

ingens meritorum cumulus ab ea pendet; & si eam omiseris, quamvis multa agas, nihil egisti. Sine mercede est labor, qui caret recta intentione.

§. VIII.

De quotidiana virtutum exercitatione.

DE virtutum excellentia, utilitate, jocunditate, & necessitate non est hîc disserendi locus; sed quia omnis earum laus in actione consistit, industrias aliquot, & documenta tradam pro quotidiano ipsarummet usu, & exercitatione.

1. Illarum virtutum acquisitioni primo incumbere debes, quarum usus frequentior est, & quæ magis statui tuo conveniunt. Semel autem electa virtute, cujus studio insistere vis, ejus naturam, conditionem, actus, & gradus, excellentiam quoque, commoda, & necessitatem prænoscere oportet. Magnum deinde desiderium excitandum est, quod te ejus capacem efficiat, & alacrem reddat ad superandas difficultates. Tum sedulò ex-

pendendum quanta ſit contrarii vitii fœditas, quæ afferat damna, quantum Deo diſpliceat, quantum te dedeceat, quantum ſtatui tuo, ac fini adverſetur. Id verò perficies inſtituta hac de re meditatione, & quia virtus non partus corruptæ naturæ, ſed opus eſt divinæ gratiæ; in ſolo Deo fiduciam pones, & ab eo auxilium continua, & ferventi oratione poſtulabis.

11. Quia habitus virtutum ex ſæpe repetitis actibus generantur, & creſcunt, magni refert ſingulas ſeparatim aggredi, unamquamque per aliquot dies, ejuſque actus in quotidianis functionibus nulla prætermiſſa opportunitate exercere; imo in omnibus ea occaſio quærenda eſt, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Adferenda etiam ad excolendam virtutem conſtans, & generoſa voluntas, quæ nunquam à bono propoſito reſiliat; quæ contra humanam inſtabilitatem viriliter pugnet; nec ſinat ſe à virtutis difficultate, & oppoſita conſuetudine, ac itineris moleſtia à curſu retrahi, & à virtute repelli. Non enim qui cœperit, ſed qui perſeveraverit, coronabitur.

III. Potiſſima ratio veræ, ſolidæque virtutis comparandæ eſt ad Chriſtum Dominum reſpicere tanquam ad perfectiſſimum exemplar, & seriò animadvertere quomodo eam docuerit verbo, & exemplo, quomodo ejus actus exercuerit, qua intentione, & devotione. Conſidera quid ille egerit, & paſſus ſit, ut ad ſerium ejus ſtudium te incitaret, & gratiam tibi neceſſariam impetraret. Et quia hactenus tam benigni Redemptoris amorem neglexiſti, excita in te dolorem & zelum proficiendi, eumque imitandi. Attende quoque Sanctorum exemplar, & ea ſequi propone adhibito ad ſtimulum examine particulari, & frequentibus precatiunculis, quibus gratiam proficiendi à Deo petas per eorum interceſſionem.

IV. Pro menſura gratiæ tibi à Deo conceſſę ſatage actus virtutis internos, & externos in ſingulos dies intenſiores elicere. Tam in progreſſu, quàm in principio ipſorum perfectiſſimè, quantum potes eos exerce, non ex arida conſuetudine, ſed novo ſemper fervore, puriſſimè quoad intentionem, intenſiſſimè quoad conatum, & conſtantiſſimè num-

quam ab eis cessando, quæcumque ingruant adversitates, & impedimenta. Actibus verò externis semper internos adjunge, quia ab istis illorum bonitas pendet. Sit stabile in te & insatiabile proficiendi desiderium, quo te offeras Deo ad actus etiam virtutis insigniores, tuasque vires longè excedentes, ad ardua quæque pro Dei amore perpetranda, si per vires liceret. Bonam enim voluntatem Deus coronat, ubi deest facultas.

V. Omnem adhibe conatum, ut virtus, quam exerces, sit vera, solida perfecta. Vera inquam, non ficta, non simulata, qua per hypocrisim alios decipias, vel qua ipse decipiaris vitium pro virtute amplectens. Solida, quæ constanter, & cum victoria permaneat adversus diaboli insidias, & tentationes: quæ non quacumque aura circumferatur, nec puerili cuidam fervori, sed altis radicibus innixa sit: quæ speciem externam, & pompam fugiat, & extrinseca naturæ dona non pluris æstimet, quàm valeant. Perfecta, id est omnibus imbuta conditionibus, quæ ad eam necessariæ sunt ex præscripto, & normâ

cœlestis, atque infusæ prudentiæ: ut id nimirum quod proprium, & intimum est in quacumque virtute, secteris, ex certo consilio, & electione, non temerè, aut ex quodam impetu, & impulsu naturæ, nec quodam quasi extrinseco ornatu contentus sis, sed ad summum virtutis gradum semper aspires, juxta exemplum quod à sanctis viris, & à Christo Domino in eo genere relictum est. Perfecta denique erit virtus, si cum cæterarum omnium societate, & usu conjuncta fuerit.

VI. Indicia jam in anima genitæ & obtentæ virtutis hæc præcipuè sunt. Si vitium virtuti oppositum, aut omnino extinctum, aut magna ex parte compressum sit: si passionibus, & pravis affectionibus sub rationis imperio jam frænum imposueris: si in exercendis virtutis actibus nullam amplius difficultatem sentias: si continuo proficiendi desiderio flagres: si dicta tepidorum contemnens bona opera in te ipso serves abscondita Dei, & conscientiæ testimonio contentus: si vitam denique non temerè, & ex usu instituas, sed ex præscripto rationis, & prudentiæ extra se-

mitas solidæ, & masculæ virtutis nullatenus declinando.

§. IX.

Protestationes ad Deum sæpius renovandæ.

IN conspectu divinæ Majestatis tuæ omnipotens Deus, ac totius curiæ cœlestis, ego miserabilis creatura, & indignissimus peccator, considerans, & volvens animo infinitam bonitatem, & misericordiam tuam, qua dignatus es de me ab æterno tam amanter cogitare, & in tempore creare ad imaginem, & similitudinem tuam, & quando venit plenitudo tẽporis, redimere me sanguine unigeniti Filii tui, toties mihi parcere, & quotidie peccantem benignè tolerare usque ad diem hanc, expectans me ad pœnitentiam post tot iniquitates & scelera mea: itemque considerans me tam fædè violasse fidem in baptismate datam; toto corde, & spiritu ante thronum justitiæ tuæ prostratus me reum ultrò confiteor læsæ Majestatis divinæ, reum mortis & passionis Jesu Christi Filii tui, ac

propterea æternis ſuppliciis cum rebellibus Angelis puniendum. Sed poſtea convertens me ad thronum miſericordiæ tuæ, quoniam benignus, & miſericors es, & præſtabilis ſuper malitia, omnia peccata mea omnium verè pœnitentium affectu deteſtans, & de his dolens, ac veniam humiliter petens per merita paſſionis Domini mei Jeſu Chriſti, quibus innitor, profeſſionem fidei, & ſancta propoſita renovo, quæ in baptiſmate promiſeram, iterumque renuncio diabolo, mundo, & carni, eorumque pompis, vanitatibus, ſuggeſtionibus, & concupiſcentiis omnibus diebus vitæ meæ, avertens me ab omni creatura, & convertens me in toto corde meo ad te Dominum Deum meum, qui nunquam deſpicis revertentes ad te. Dixi; Confiteor tibi adverſum me injuſtitiam meam, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei: Dixi, & mox eructaſti verbum bonum, dicens remittuntur tibi peccata tua, quoniam rogaſti me, quoniam dilexiſti me. Et quis non diligat te, ô infinita bonitas? Aperis enim mihi cataractas miſerationum tuarum, & torrente miſericordiæ mundaſti, & inundaſti me. Ideò

propono, & ſtatuo irrevocabiliter tibi ſoli ſervire, teque medullitùs diligere & nunc, & in æternum. Quod ſi contingat vel ex Satanæ incurſu, vel ex lapſu humanæ fragilitatis me quicquam cogitare, loqui, vel facere, quod huic deliberationi contrarium ſit; ex nunc propono tua favente gratia ſtatim reſurgere, ſanctique propoſiti viam ferventius arripere, & tibi jugiter adhærere. Tu Domine, qui univerſorum es cognitor, tu noſti quia amo te. Ne quæſo deſpicias hoc ſacrificium contriti cordis, ſed præſta, ut hæc deſideria de tua inſpiratione concepta nulla poſſint tentatione mutari.

Profiteor, & proteſtor coram te, Deus meus, & coram Angelis, & ſanctis tuis me in hac vera, & Catholica fide & vivere, & mori velle, quam ſancta Romana, & Apoſtolica tenet Eccleſia, & confitetur, pro qua millies mori paratus ſum. Ignoſco omnibus ſincero corde, qui quovis modo injuriam aliquam ſive moleſtiam mihi intulerunt: omneſque rogo, ut viciſſim ignoſcant mihi; & ſi aliquod remanet in me peccatum, quod in confeſſione omiſerim, vel non ritè

confessus sim; si aliqua obligatio, cui non satisfecerim, revoca ea in mentem, ô scrutator cordium, ut confitear, & satisfaciam, antequam veniat nox in qua nemo potest operari.

Agnosco, & fateor me hactenus non vixisse in sanctitate, & justitia coram te, sicut status sublimis, ad quem me vocasti, & beneficia tua multa nimis exigebant. Agnosco, inquam, & doleo quantum possum, quod te aliquando dereliquerim fontem aquæ vivæ, & tui oblitus fuerim, vita mea, qui omni momento, quasi cæterorum oblitus esses, nunquam oblitus es mei. Et nunc, Domine, ad te revertor, & propono deinceps tibi soli, & mihi vivere, & omnes justificationes tuas custodire. Tu eris mihi in Deum, & ego tibi in servum fidelem usque ad extremum vitæ meæ. Si quis insidietur hostis, si quis allatret, pelliciat, incantet, teneat, & surrepat; tu eris timor meus, spes mea, amor meus. In te confido, dulcissime Salvator, minima enim guttula pretiosi Sanguinis tui in Cruce effusi sufficiens est pro redemptione totius mundi. Sub tuum præsidium, & Beatissimæ Matris tuæ, om-

niumque Angelorum, & Sanctorum & vivere cupio, & mori volo absque ulla hæsitatione, aut desperatione ob multitudinem, & gravitatem peccatorum meorum. Hac munitus protectione tutus ero, neque irridebunt me inimici mei, etenim universi, qui te expectant, non confundentur. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum facere semper voluntatem tuam; cumque omni affectu beatorum spirituum te arctissimè amplecti, atque omnium creaturarum vocibus te laudare, & glorificare.

Hoc ardentissimum votum, ac desiderium meum respice, clementissime Deus, dum tempus est miserendi, & cor meum suscipe in holocaustum, cunctosque homines, & quamcumque extraneam imaginem in eo extingue, & me in corde omnium hominum, ut mihi mundus crucifixus sit, & ego mundo.

Oculi mei te solùm videant, & in te omnia: aures meæ non audiant vocem alieni, sed tuam dumtaxat: lingua mea, & labia mea te solum loquantur, tuasque laudes jugiter resonent: manus meæ amplectantur te: pedes mei ad te gradiantur: omnes vires meæ in tuis vulne-

ribus, & morte tua consumentur: omnia denique membra, & ossa mea dicant, Domine, quis similis tibi? Abnego omnia terrena hæc, quia in te uno omnia habeo: abnego me, quia tuus ego sum, & vivo ego jam non ego, vivis autem tu in me Christe Jesu, & diligo te ex toto corde meo, & tota anima mea, ex tota mente mea, ex totis viribus meis. Da ut ab omnibus contemni, & abjici desiderem, nulli placere appetam, nulli verear displicere, nisi tibi; nec quidquam concupiscam, nisi gratissimam voluntatem tuam.

Hæc sunt desideria mea, hæc vota, in quibus contestor coram te, Deus meus, me vivere, & mori velle: hæc quotidie, & omni momento renovare intendo, nec unquam te favente ea revocabo. Quod si vi morbi, vel hostis fallacia quicquam dixero, vel cogitavero huic voluntati, ac deliberationi contrarium, id nullum esse cupio in tribunali tuo, justissime Deus, qui voluntatem timentium te semper exaudis; idque omnino detestor, abominor, abjuro, & abrenuntio, nihil de me ipso præsumens, sed in sola spe gratiæ, & protectionis tuæ confidens. Hanc au-

tem voluntatem paratus ſum ſanguine meo ſignare, & pro te millies mori, ut tibi vivam, Dulciſſime Jeſu, cui omnia vivunt; & in te moriar, qui pro me mori dignatus es. Amen.

§. X.

De crebra ſpiritus revocatione.

INter alias induſtrias, quæ ad fervorem ſpiritus augendum, & conſervandum adhiberi ſolent, nulla efficacior, quàm crebra ejuſdem ſpiritus renovatio, ſine qua ſenſus devotionis tepeſcit, & perfectionis deſiderium olim conceptum ſenſim languet, & flacceſcit. Hujus rei hæc praxis eſt.

1. Die Dominica, quæ eſt initium hebdomadæ, & prima die cujuſque menſis, horam unam matutinam ſeliges, quam cæteris curis abdicatis huic renovationi totam impendes. Et primo quidem ſtatues te in conſpectu Dei, & ipſum adorabis. Tum veneraberis tanquam tibi aſſiſtentes beatiſſimam Virginem, Angelum cuſtodem, & ſanctos Tutelares. Declarabis te illic adeſſe, ut

bona recogites à Deo accepta, itemque mala commissa, & ut cognoscas, quid te jubeat facere. Ad id vero gratiam petes, & lumen recitato hymno *Veni creator Spiritus*, additis etiam precibus ad B. Virginem, Angelum custodem, & sanctos Tutelares.

11. Post hæc considerabis peractæ hebdomadæ, vel mensis beneficia. Sunt autem ista. Quoad animam: sanctæ cogitationes, lumina, inspirationes, desideria, consolationes, patientia in desolationibus, usus Sacramentorum, orationes, meditationes, examina, lectiones spirituales, Missæ, Officia, actus virtutum, mortificationes, fuga vitiorum, spiritualis profectus, præservatio à multis periculis, & peccatis, gratia resurgendi post lapsum, & alia innumera. Quoad corpus: victus, vestitus, sanitas, liberatio à multis malis, & ægritudinibus, conservatio amicorum, & domesticorum, & alia ejusdem generis. Sunt & multa beneficia occulta, quæ ignorantur. Sunt communia, ut lux solis, terræ felicitas, & alia commoda ad corpus, ad animam, & ad bona externa pertinentia. In his sigillatim ponderabis

magnitudinem benefactoris , amorem quo benefacit, donorum excellentiam, & tuam indignitatem Quia verò impar es ad gratias agendas , invocabis Verbum incarnatum, B.Virginem, Angelos, Sanctos , & omnes creaturas , ut pro te Deo gratias agant. Tum offeres æterno Patri gratiarum actiones Christi, beatæ Virginis , & Sanctorum , atque omnes Missas, quæ dicuntur illa die : & tu quoque ea intentione Missam audies , vel celebrabis.

III. Deinde examinabis peccata commissa, discurrendo per singulos dies ; per loca, & ministeria contra Deum, contra proximos, superiores , æquales , & inferiores , & contra teipsum. Admiraberis potentiam Dei, qui te expectavit ad pœnitentiam : obstupesces vehementer quomodo vivere potueris in tam misero statu , quomodo non se armaverint creaturæ omnes adversus te : ingens odiũ tui concipies , & dolorem de peccatis cum proposito emendationis , & desiderio satisfaciendi. Mente finges Deum Patrem tibi assistere, & exprobrare peccata. Filium verò plagas ostendere , & te absolvere ; Spiritum sanctum tibi ali-

quam satisfactionem injungere, cui statim cum timore, & tremore obedies: & si quid Sacramento Pœnitentiæ expurgandum sit, illico Sacerdoti confiteberis. Denique firmiter statues vitam in melius commutare, invocato Dei, & Sanctorum auxilio.

IV. Percurres sequentes articulos, & videbis: An præteritum tempus rectè expenderis. An sancta proposita, & animi decreta in oratione concepta servaveris. An vitium, cujus emendationem tibi proposueras, superaveris. An adhuc delecteris memoria vanitatum præteritarum, & scelera olim admissa sine debita detestatione recurrant ad mentem. An studueris extricare te à suspicionibus, judiciis temerariis, & cogitationibus impuris. Quo animo quæ agenda sunt, aggrediaris, attentène & prudenter; an verò præcipiti impetu, & sine maturo consilio. An vitam tuam componas ad humana judicia, & axiomata mundi. An optes soli Deo placere. An proruperis, & quàm frequenter, in colloquia mala, scurrilia, & inutilia. An paratus sis mori, & an aliquid sit intus, & extra te in conscientia, cella, vel

domo tua, quod nolles reperiri, in hora mortis.

v. Radices tuorum defectuum, & impedimentum profectus spiritualis accuratè dispicies, & evellere satages. Sunt autem istæ. Neglectus seriæ mortificationis vitiosorum habituum, & passionum. Defectus magnanimitatis, seu pigritia, & fuga laboris in arduo perfectionis monte conscendendo. Nimia tui confidentia, & occulta præsumptio de propriis viribus. Amor inordinatus propriæ existimationis, gloriæ, & excellentiæ; & neglectus humilitatis, ac puræ intentionis. Nimia indulgentia circa corporis commoda, otium, relaxationes, libertatem: Remissio, & tepiditas sensim irrepens in usu Sacramentorum, in oratione, & aliis piis exercitationibus. Scrupulositas, & anxietas nimia de præsentibus, & futuris; & exigua de divina providentia & bonitate confidentia. Ingratitudo pro beneficiis acceptis, maximè vocationis, & rara, atq; arida eorum recordatio parumq; affectuosa eorũdem æstimatio.

vi. Ad magnos progressus in spiritu faciendos te ipsum variis stimulis excitabis, quorum præcipui sunt isti diligenter

genter, & seriò expendendi. Justitia Dei summa, æterna morte puniens peccata. Abyssus judiciorum Dei sæpe permittentis multos, præsertim ingratos, labi, apostatare, & miserè mori. Timor mortis, quæ repentè venit, sicut fur in nocte, aperitque januam tremendæ æternitati. Brevitas, & incertitudo temporis, cujus jactura irreparabilis est. Horror judicii, & consideratio æternitatis. Exemplum Christi verbo, & exemplo docentis nos: & Sanctorum confundentium tepiditatem nostram, & invitantium ad imitationem. Bonitas, & amabilitas infinita Dei, & summus in hominem amor, atque innumerabilia beneficia.

VII. Bona proposita & vota tua toto affectu renovabis, & pro eorum observantia gratiam à Deo humiliter petes. Tum firma animi deliberatione propones nunquam deinceps deliberatè peccare, nullam regulam transgredi, de rebus viro religioso dignis semper colloqui, quotidiana opera diligenter facere, à jocis, & scurrilitatibus perpetuò cavere, de nulla re conqueri, nullius mores censurare, omnia in melius interpretari,

honores fugere, adversitates libenter, & hilariter pati, semper niti ad perfectiora, singula opera ita facere, ut meritoria sint, vanos hominum respectus contemnere, in his, quæ pertinent ad modestiam, & castitatem, vel ipsam defectus umbram perhorrescere; extra studium, & alias regulares occupationes omnia intercedentis temporis, vel minima intervalla in sanctis cogitationibus, & piis erga Deum affectibus expendere. Hæc vero proposita sæpe repetes, & conaberis ita observare, ut in fine saltem cujusque hebdomadæ invenias, & agnoscas te profecisse.

VIII. Profectum tuum examinabis, & conferes cum profectu transactæ hebdomadæ, sicut mercatores libros suos evolvere, sumptus, & lucra computare solent; attentè considerans quid amiseris, quid lucratus fueris in negotio salutis tuæ profectuque virtutũ. Deinde inspicies quid peculiariter cavendum tibi, quid emendandum sit. Prævidebis quicquid acturus es, & Deo offeres purissima intentione, petesque ab eo ut opera tua dirigat, teque speciali, & efficaci gratiæ suæ auxilio ad omne opus bonum

excitet, & corroboret, adhibita interceſſione B. Virginis, Angeli cuſtodis, & Sanctorum tutelarium. Demum propones ſequentem hebdomadam ſic tranſigere, ac ſi prima ſit, qua incipias ſervire Deo, & poſtrema vitæ tuæ.

§. XI.
De Oratione mentali.

QUid ſit oratio mentalis, quot ejus gradus, & partes; quæ cauſæ, & effectus, quanta ejus neceſſitas, & excellentia, infiniti penè ſcriptores diffuſiſſimè pertractaverunt. Vix tot ſunt huic ſtudio incumbentes quot ejus præceptores habemus. Ex his autem quædam notabiliora ad praxim pertinentia breviter delibare propoſitum mihi eſt; reliqua ab illis petenda ſunt.

1. Nulla dies præterire debet, qua per horam, vel ſaltem per dimidium horæ huic orationi non incumbas, alioquin nullum, vel admodum exiguum facies in virtute profectum. Hæc eſt enim baſis, & firmamentum Chriſtianæ perfectionis. Hæc hominem ſæculo disjunctum omnem mortalitatem tranſilire facit, & Angelicis choris ſociatum ad cœleſtium

gaudiorum consortium, & ad beatissimam cum Deo unionem attollit. Nemo paruit vitiis, nemo carni obsequutus est, nemo desertor religionis fuit, qui non ante orationis studium projecerit, & conculcaverit.

II. Quædam ad bene orandum prææviæ dispositiones requiruntur, quarum prima est carere peccatis, quamvis enim à studio orandi non arceatur qui mortalibus culpis irretitus est, peccata tamen bonum à nobis prohibent, sicut dixit Jeremias Propheta. 2. Omnes inanes occupationes & vana colloquia, quæ distractionibus fomentum præbent, præscindere. 3. Pravas affectiones comprimere, & cor avellere ab omni affectu rerum terrenarum, quia mens sordida, & perturbata cœlestes nequit influxus percipere.

III. Ante orationem materiam præparare oportet, eamque in puncta distribuere, & memoriæ imprimere: affectus item prævenire, quis, ex quo puncto, & quo pacto elici possit: tum finis præfigendus est, qui in ipsa quæritur, sive sit odium peccati, sive alicujus vitii emendatio, sive abnegatio sui, sive adeptio

virtutum, aut unio cum Deo, habita ratione proprii ſtatus, & indigentiæ, atque ad ipſum finem tota ſeries orationis dirigenda eſt.

IV. Orationem inchoaturus præmiſſo ſigno Crucis, & verſiculo, Deus in adjutorium meum intende, cum Gloria Patri, Deum præſentem fide viva concipies, circa te exiſtentem, intra te manentem per eſſentiam, præſentiam, & potentiam; cordis tui intimos receſſus penetrantẽ, opus quod facis agnoſcẽtem, & ad ipſum te adjuvantem. Tum Deum pręſentem adorabis actumq; contritionis elicies, & gratiã bene orandi poſtulabis. Hos autem & alios quoſdam actus prærequiſitos continet ſequens oratio, quæ ſive præſcriptis verbis, ſive alia breviori formula fiat, ferventiſſima eſſe debet, utpote quæ animam diſponere debet ad divinæ gratiæ influxum, ſanctique Spiritus inſpirationes percipiendas, & ad veritates ſupernaturales penetrandas.

Oratio Præparatoria.

DOmine lux ſapientiſſima, bonitas ineffabilis, poteſtas inſuperabilis, qui univerſorum es conditor, conſerva-

tor, & rector: qui es felicitas, & beatitudo nostra, à quo speramus peccatorum veniam, meritorum gratiam, premii gloriam; quem omnes beatorum spirituum ordines amant, laudant, & admirantur: ecce ego indignissimus peccator adsto coram te, ut de tua infinita perfectione gaudeam, meque tibi omni conatu subjiciam. Te igitur adoro, te veneror, te omni honore, & laude prosequor, ac dignissimum judico, qui ab omnibus Angelis, & hominibus, & ab universis creaturis magnificeris, & in summo pretio habearis. Doleo autem ex toto corde, quod offenderim te, & summopere cupio emendare quod feci. Ignosce mihi Deus meus, & adesto propitius precibus meis, & meditationi meæ cui nunc incumbere intendo ad majorem gloriam & honorem nominis tui, ut placeam tibi, & consulam saluti animę meę. Ne despicias me Domine, ne avertas faciem tuam à me, sed da mihi abundantissimam gratiam tuam, ut coram te astare possim hac hora, quemadmodum tibi placet, Domine Deus. Offero tibi, & consecro animam meam, ut eam perficias, ut extollas ad te:

Offero memoriam, ut eam ſanctis cogitationibus imbuas: offero intellectum, ut luce tua illuſtratus conſiderare poſsit mirabilia tua: offero voluntatem, ut amore tuo inflammata affectus tibi gratos, & mihi congruos eliciat: offero tibi omnes cogitationes meas, omnia verba, & opera, ut in his quæ tibi ſunt placita ſemper occupentur: offero corpus meum, & vitam meam, ut de me ſecundum beneplacitum tuum in tempore, & in æternitate diſponas. Reſpuo omnes curioſitates, & diſtractiones, tibique ſoli, & mihi attendere propono, ac ſi tu, & ego ſoli eſſemus in hoc mundo. Lubens patiar omnes deſolationes, & ariditates, quoniam indignus omni conſolatione, & dulcedine ego ſum: Hanc autem meditationem offero tibi in unione meditationum, & orationum Domini mei Jeſu Chriſti, ut ipſe ſuppleat defectus meos, & bene orandi gratiam mihi tribuat. Adjuva me Domine Deus meus per merita, & interceſſionem Beatiſsimę Virginis Mariæ, omniumque Angelorum, & Sanctorum tuorum. Virgo Maria, Angele mi cuſtos, ſancti mei advocati aſsiſtite mihi, & orate pro me.

V. Post hanc orationem incipies à primo puncto præparatæ meditationis, & circa ipsum intellectum exercebis discurrendo per omnes rei, vel mysterii sive historiæ causas, effectus, & circumstantias. Tum fines voluntatem, cujus posteriores partes esse debent, munus suum exequi variis elicitis affectibus, quos gratia divina in te excitabit. Intellectus enim voluntati præfert facem, ut in meditatione exardescat ignis.

VI. In affectuum exercitatione nonnulla sunt observanda. Ut eam videlicet aggrediaris cum omni puritate, & conscientiæ candore, quia juxta puritatis mensuram erigitur mens in oratione. Ut ad puritatem accedat humilitas, & reverentia maxima, & dicas cum Abraham, *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis.* Ut non sistat animus in gustu, sed gustus dirigatur ad opus, & usui virtutum deserviat. Ut quanto tempore affectus excitatus afficit animum, tanto in eo perseveres, minimè interim solicitus quid supersit meditandum. Ut conversatio, & opera tua his affectibus consentiant, quos in oratione exercuisti: ut si in oratione peccata odio habuisti,

habuisti, ea multò magis extra orationem opere detesteris: si res caducas despexisti, actu efficacius despicias. Quidam recentiores varios modos proponunt movendi, & dilatandi affectus per modum admirationis, benedictionis, comminationis, detestationis, exhortationis, fiduciæ, gratitudinis, humiliationis, interrogationis, laudis, miserationis, narrationis, obsecrationis, postulationis, querelarum, redargutionis, solicitationis, timoris, vituperationis, & zeli. Verumtamen hæc omnis exercitatio magis ab unctione gratiæ, quàm ab humana institutione dependet. Ipse enim spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

VII. Tempore consolationis sequendus est ductus, & impulsus Spiritus sancti, sed tempore ariditatis maximopere conducet praxim aliquam sibi familiarem habere qua possint affectus excitari, & dilatari. Ea autem erit hujusmodi. Postquam intellectus aliquas virtutes uno puncto contentas accurratius penetravit, ex iis tanquam ex præmissis evidenter cognitis practicas conclusiones deducet, quibus voluntatem ad congruos

affectus, & desideria movebit, deinde judicium practicum ad bona proposita elicienda impellet: & sic voluntas rationibus intellectus convicta, affectus, desideria, & proposita judicio intellectus consentanea eliciet, & continuabit servato hoc ordine in singulis affectibus excitandis. Primò propositæ virtutis actus internos exercebis. Secundò optabis semper eos perfectè exercuisse, & de tua hucusque socordia dolebis. Tertiò propones in posterum eos ardentiùs corde, ore, & opere frequentare. Quartò idem omnes ut præstent desiderabis. Quintò gratiam ad id necessariam implorabis.

VIII. Distractionum, & evagationum multæ sunt causæ. Prima sunt peccata, & affectus inordinati, qui nos ad terram allidunt & mentis secum cogitationes ad cœlestia sursum ferri non sinunt. Secunda nimia effusio ad exteriora, animique evagatio ex sola levitate per inania discurrentis. Tertia curiositas, quæ omnia vana, & inutilia ad sensus adducit. Quarta nimia sensuum libertas, qua mens in multa discinditur, & dissipatur. Quinta naturæ fragilitas, & instabilitas,

quæ nos incurvat, & deprimit, & in una re cogitanda diu non ſinit immorari. Sexta aſtutia dæmonum fructum orationis impedire conantium. Septima ingenii hebetudo inepti ad meditandum, ſive ignorantia cum quis neſcit quid, quando, qua ratione debeat meditari. Octava omiſſio debitæ præparationis, & præviæ diſpoſitionis ſupra deſcriptæ. Nona ſuperflua colloquia, & tepiditas: ſcriptum eſt enim, *Qui mineratur actu percipiet ſapientiam*: & ſuper tepidos cadit illa maledictio, *Eris vagus, & profugus ſuper terram.*

IX. His morbis hæc remedia applicabis. Primò profundam humilitatem, qua tuam miſeriam cognoſcas, & coram divina majeſtate ita evagari te pudeat. Secundò ingentem animi fortitudinem, qua viriliter ſtatuas nullam cogitationem admittere, quæ te retrahat ab oratione: & ſi invitò contigerit evagatio, eam ſtatim abigere ſtudeas. Tertiò diligentiam, ratione cujus ad orationem paratus accedas, & rem, quam meditaris, non quaſi præteritam, aut futuram, ſed ut præſentem cogites. Quartò animi tranquillitatem, ita ut diſtractus non

tristeris, ne ipsa anxietas evagationem foveat; sed imagines rerum irruentes non discutias, & quasi aspicere dedigneris. Quintò brevem, & ferventem orationem, qua petas à Deo, ut ipse mentem tuam cohibeat, & intra animam tuam habitare dignetur. Sextò attentionem ad singula puncta circa quæ ordinatè discurres, & cum te distractum advertis, vel ab ipsa distractione occasionem sumes redeundi in viam, vel certè abrupta omni cogitatione ad propositam materiam redibis cum dolore, & proposito emendationis. Tandem, quia contraria contrariis curantur, causæ supradictæ, & radices evagationum contrariis remediis extirpandæ sunt, pravi affectus mortificatione, tepiditas fervore, naturæ fragilitas vigore gratiæ, & sic de cæteris. Quod si evagatio non obstante quacumque diligentia adhuc orantis studium perturbat, cave ne recedas ab oratione, sed humiliare in conspectu Dei & decerta viriliter, quia involuntariæ distractiones non imputantur nobis ad culpam, imò plerumque meritum augent, ob assiduam luctam, & conatum resistendi.

X. Ut intellectus distractiones sic voluntas ariditatem patitur, sive sterilitatem, & inopiam piorum affectuum, quæ provenire solet vel ex naturæ infirmitate, & misera conditione, vel ex orantis culpa, & negligentia, vel ex divina dispositione. Remedia hæc sunt. Terrenas consolationes detestari, & ad veras, & cœlestes suspirare: grato, & humili animo gratiam devotionis præstolari, suscipere, conservare, Deo non sibi adscribere; non ideo se extollere, sed timere, seque indignum tanto beneficio intimè agnoscere, & fateri: audito orationis signo magna alacritate, & promptitudine ad eam properare, & ipsam magno affectu inchoare: abjicere se ad pedes Domini adinstar cæci, & pauperis, seu adinstar jumenti, & offerre illi animæ sterilitatem, in pœnam peccatorum: actus internos virtutum tametsi arido corde exercere, & in vocales erumpere orationes: resignare se divino beneplacito ad ariditatem illam tota vita perferendam, seque paratum exhibere ad serviendum jugiter Deo sine ullo stipendio consolationum, atque etiam sine spe mercedis ęternæ: offerre

Deo desideria, & merita Christi, beatæ Virginis, & Sanctorum percurrendo eorum choros, & à singulis aliquid mendicando, salutando singula Christi membra, singula vulnera osculando, singula recensendo beneficia: causas denique ariditatis solerter examinare, & amovere. Quod si nulla præter Deum appareat causa, gratias illi agere oportet, & eum patienter sustinere sibique nihilominus, & suis peccatis gratiæ substractionem imputare.

XI. Duplex in oratione lumen reperitur, practicum & speculativum. Magnum verò inter utrumque discrimen est respectu intellectus, voluntatis, & operis. Et primò quidem in intellectu hoc discrimen cernitur, nam res divinas duabus viis contemplari possumus, vel per sublimes quasdam theorias, vel per rationes practicas, & vulgares. Prima via lumine speculativo procedit, secunda practico: illa peritioribus, hæc etiam imperitis convenit: illa ad movendam voluntatem parum vel nihil confert, hæc efficacissima est, & movet ad opus. Secundò apparet discrimen in voluntate, nam in lumine speculativo ita nonnum-

quam voluntas etiam movetur, ut inde gemitus, & suspiria oriantur; sed postquam evanuit dulcissimus ille sensus, remanet homo nihilominus impatiens, sui consilii tenax, ac iisdem semper vitiis irretitus licèt speciem pietatis præ se ferat. Lumen veró practicum perturbationes domat, extirpat vitia, afficit cor non fallaci suavitate, sed salubri compunctione, veram parit virtutum sitim, non inanem gloriolæ, aut scientiæ gustum. Demum in opere diversa utriusque natura deprehenditur, nam illud labores externos devitat, & zelum animarum imminuit tanquam spiritus impedimentum: hoc ardorem excitat durissima queque patiendi, & quodlibet hominis commodum saluti animarum postponit.

XII. Observandæ sunt, & precavende demonis fraudes, quibus solet homines à studio orationis avocare. Prima est sub pretextu quietis ad orationem necessariæ, proprii status officia, ad quæ quis ex obligatione tenetur, vel perfunctoriè persolvere, vel penitus omittere. 2. Non recta intentione orationi se tradere. 3. Ob externas occupationes

orationem negligere quę maximum negotium eſt, & tempus illi deſtinatum in aliis rebus inſumere. 4. Propter ſpiritus puſillanimitatem quod manifeſtus illa profectus non appareat, ipſam deſpicere, & alia ei ſtudia præferre. 5. Ab eadem ceſſare ob tentationem, & ſcrupulorum moleſtiam. 6. Propter ariditatem eam breviare, vel propter abundantiam conſolationis ſine diſcretione, quæ ſal eſt ſacrificii, immoderatè protendere. 7. Ab humilium meditatione abſtinere, & ſola ſublimia, quæ captum plerumque ſuperant, & in ſuperbiam elevant, admittere. 8. Ecſtaſes, raptus, & revelationes deſiderare, quod arrogantię, & vanæ curioſitatis indicium eſt, multiſque dęmonum illuſionibus januam aperit. 9. Tepeſcere, & perturbari cum deeſt conſolatio, quam recipere quidem humiliter, ſed non quærere oportet, aut in ea quieſcere, finis enim orationis emendatio vitæ eſt, non conſolatio. Poſtrema tandem illuſio, elatio eſt, cum quis ſtultè cogitat ſibi ſoli gratiæ divinæ ſolem illuceſcere, cæteros autem tanquam carnales, & imperfectos ſpiritus orationis non eſſe capaces. Hic autem tumor dili-

genti sui discussione, & profunda propriæ indigentiæ, ac teporis, & miseriæ consideratione sanari debet.

XIII. Cum propter ægritudinem, & capitis languorem tempore meditationis discurrere nequis, satis erit de re aliqua pia in punctis præparatis proposita cogitare, eo modo illa aspiciendo, quo pulcram soles imaginem Christi, vel B. Virginis, sive alicujus sancti aspicere sine capitis fatigatione, & pios tamen affectus ex eo aspectu in te excitabis. Quando autem circa puncta meditationis, vel propositum vitandi peccatum, vel alicujus virtutis actus elicitur, optima erit meditatio, etsi nullus sentiatur fervor, vel consolatio sensibilis. Sicut enim medicina ab infirmo sumpta sine gustu, imò cum nausea, valde tamen illi prodest: ita sola recordatio piæ alicujus rei ad meditandum assumptæ prodest animæ, licet ob morbum, vel aliam causam inculpabilem nulla sentiatur consolatio.

XIV. Cum oratio definiatur à Theologis petitio decentium à Deo, satis constat ejus naturam in interno cum Deo colloquio propriè consistere. Non

quod semper, dum meditaris, cum Deo colloqui necessarium sit; sed quia omnes meditationis partes ad hanc ferè diriguntur, ejusque tota vis in ejusmodi colloquiis potissimum sita est. Tribus autem modis se habere potest intellectus in rerum divinarum consideratione. Aut tecum loqueris, & adductis hinc inde rationibus circa rem propositam discurris: aut Deum quasi loquentem, ac tecum de via salutis verba facietem audis: aut tu ipse cum Deo loqueris, & tuam meditationem in interius colloquium vertis. Hic verò postremus modus, ut suavior, sic utilior, & efficacior est, tum ad animum immutandum, tum ad affectus excitandos: ita tamen ut attentiùs audias, quid ipse Deus intus loquatur ad cor.

XV. Finis colloquii est vel Deum laudare, & pro collatis donis gratias agere: vel nova beneficia impetrare. Aliquando assumpta Filii persona à Deo petes quicquid ab optimo parente sperari potest. Aliquando sicut pauper à ditissimo Domino, sicut ægrotus à pientissimo medico necessitati tuæ subsidium, infirmitati remedium postulabis. Interdum

aſtabis tanquam reus ante judicem, tanquam diſcipulus ante magiſtrum ea flagitans, quæ ſtatui tuo, & aſſumptæ perſonæ conveniant. Quod ſi te amor ad ſubliniora evexerit, & fecerit audaciorem, licebit animæ tuæ Deum alloqui tanquam ſponſum, eo ſpiritu, & iis affectibus, quibus Cantica Canticorum refertiſſima ſunt. Bona autem in colloquiis petes pro te, pro tota Eccleſia, pro ſociis, pro tibi peculiariter commendatis, pro omni ſtatu hominum, pro vivis, & defunctis.

XVI. Non ſolùm cum Deo, aut cum Chriſto Salvatore noſtro, ſed etiam cum Beatiſſima Virgine, cum Angelis, & Sanctis in oratione loqui poteris vel ad laudem, & gratiarum actionem, vel ad opem eorum implorandam. Pro hac re titulos efficaces aſſumes, & quidem ſi cum Deo loqueris ejus attributa, & infinitas perfectiones; beneficia nobis collata, & conferenda; ejus liberaliſſimas promiſſiones, infinita Chriſti merita, & virtutes; merita quoque B. Virginis, & Sanctorum, tuamque inopiam, & extremam miſeriam. Si cum B. Virgine, ejus virtutes, officia, privilegia,

merita, & beneficia. Si cum Sanctis, eorum amorem erga Deum, & nos; virtutes, merita, charismata, & propensam erga nos voluntatem. Sunt & alia colloquia ad impios, & hostes Christi, quorum cæcitatem admiraberis, malitiam detestaberis, & te iis pejorem fateberis; ad te ipsum, tuam ingratitudinem, & tepiditatem agnoscendo, & detestando: ad creaturas sensu carentes, quarum exempla ad confusionem, & dolorem te movebunt, quia illis ministerium, & ordinem à Deo sibi impositum constantissimè servantibus, tu frequentissimè divina mandata transgressus es.

XVII. Cum finem orationi imponere volueris, tribus actibus eam concludes. Et primo quidem peractis considerationibus, & excitatis affectibus gratiarum actio subjicienda est. Ne autem affectuum, & materiarum varietas mentem perturbet, id observabis, ut ex eo, quod meditatus es, ipsa gratiarum actio oriri quodammodo videatur. Si enim de passione fuit oratio, gratiæ statim agendæ erunt pro beneficio Redemptionis; atque è vestigio reliqua omnia

huic addentur generalia, & particularia, ea præsertim quæ in ipso orationis decursu à benignitate divina suscepisti. Sequitur secundo loco oblatio, qua offeres æterno Patri merita Christi, & omnium Sanctorum, & teipsum cum illis, atque omnia opera tua cum perfecta resignatione in omne beneplacitum Dei. Tandem petitio subjungenda est eorum, quæ ad salutem sunt necessaria pro te, & reliquis hominibus, adhibitis B. Virginis, Angelorum, & Sanctorum intercessionibus. Sic terminabitur meditatio, addita in fine oratione Dominica, vel aliquo Psalmo, sive alia oratione vocali, cujus formula hæc esse poterit.

Oratio post Meditationem.

DOmine meus, & Deus meus, Ego pulvis, & cinis in tot periculis constitutus, quàm frigide, & distractè, ob negligentiam custodiæ sensuum meorum, & cordis mei, tecum locutus sum coram curia tua universa, quæ toto corde te laudat, sicut & animæ omnes justæ, ac verè religiosæ! Miserere mei infantis, omnium egeni, vix valentis in

summis periculis opem tuam implorare. Suscipe si quid boni feci gratia tua, in unione meritorum, vitæ, & mortis B. Virginis, & Sanctorum tuorum: dispone de servo tuo, sicut tibi visum fuerit, sive consolari libeat, sive relinquere me, tua voluntas fiat. Dignus verè sum, si me r spicis, quem derelinquas; sed si te, & vulnera tua, erit unde me nō despicias, ut sit misericordia tua super omnia opera tua. Da mihi dulcissime Jesu, ut quod me docuisti ad salutem, & solatium animæ meæ, pro amore tuo promptè exequar, cum manifestè cognoverim voluntatem tuam. Tu scis, qui nosti omnia, ardentissimum desiderium meum, & quod abominer imperfectiones meas. Sed nisi miseratio tua magna sit super me, peribo utique in infirmitate mea. Quomodo enim mihi, qui nihil sum, & nihil pejus, confidere potero? Esto refugium meum, Deus meus, fiducia mea, & da mihi spiritum bonum, ut omnia opera mea perfectè faciam, sicut proposui; ne tot exempla tua, & documenta sint mihi in singultum, & dolorem cordis in die judicii; quod toties me visitaveris, & visitatio tua non custodie-

rit ſpiritum meum, toties me paveris & non ſim ſaturatus; toties vitam dederis, & tamen mortuus ſim. Ne deſpicias ſervum tuum clamantem ad te, & te ſequi deſiderantem. Ecce enim de manu tua cruces, & adverſitates libenter accepto, ut tibi, & ſanctis tuis ſimilis fiam, ut pro peccatis meis ſatisfaciam, ut te perfectè amem ex tota anima mea, ô bonitas infinita. Pone te ut ſignaculum ſuper cor meum, ut ſignaculum ſuper brachium meum, ut nemo mihi deinceps moleſtus ſit, ut agnoſcant omnes qui viderint, quoniam ſervus tuus ego ſum, tibi ſoli vivere, & mori cupiens, & omnes te glorificent cum Patre, & Spiritu ſancto laudabilem, & glorioſum in ſecula ſeculorum. Amen.

XVIII. Oratione peracta ejus examen inſtituendum eſt, ut ſi quidem bene ſucceſſerit, in eadem meditandi ratione perſeveres: ſin autem malè, errores, eorumque radices abſcindas, & emendes.

Primò igitur examinabis an ea omnia ſervaveris, quæ in præparationibus præmittenda eſſe docuimus: an puram habueris intentionem: an quid erratum

ſit in intellectus, & voluntatis exercitatione: quo ſpiritu, quove affectu ipſa meditatio terminata ſit. Secundò examinandæ ſunt diſtractiones, quales fuerint, quo ex fonte proceſſerint, quæ eis remedia, & qua diligentia adhibueris. Tertiò examinandi pii motus, inſpirationes, illuſtrationes, guſtus ſpirituales, an à bono vel à malo ſpiritu fuerint, juxta regulas ab iis traditas, qui de diſcretione ſpirituum ſcribunt. Quartò ariditates, tædia, deſolationes utrum provenerint ex dęmonum impugnatione, an ex tua culpa, ſeu negligentia, vel certè ex divina permiſſione ad tuam eruditionem. Quintò denique animi decreta, quæ in orationis decurſu concepiſti, ut ſcias quo tempore, & qua ratione executioni mandari poſſint, & debeant. Ipſa verò decreta, & fructus ex oratione perceptos notare oportet in libello ad hunc uſum parato. Tum aliquot puncta ſeliges tota die ruminanda; idque ſummopere curabis, ne balſamum devotionis per loquacitatem evaneſcat. Demum ab oratione placidè tranſibis ad tui ſtatus obligationes, etiamſi à ſpiritu orationis plurimum diſtent; utrumque enim Dei

voluntati

voluntatis eſt, & orationi incumbere, & propriæ obligationi ſatisfacere.

XIX. Signa boni ſucceſſus orationis hæc ſunt. Elapſa ejus hora ſe paratum ſentire ad diutius meditandum, ſi obedientia, & vires corporis id ferrent: ſpontè diſtractionibus non conſenſiſſe: debitum ordinem, & methodum ſervaſſe in præparationibus, diſcurſu, colloquiis, affectibus, principio, medio, & fine: varios actus virtutum exercuiſſe, & propoſita practica in particulari formaſſe: in propoſitorum executione majorem ſolito facilitatem, robur, & gaudium ſentire, non ſolum tempore tranquillitatis, & conſolationis; ſed etiam ingruente tentatione, & deſolatione. Optimè Climacus gradu 28. Quidam, ait, ab oratione exeuntes, veluti ex fornace ignis egrediuntur ſordis, ac materiæ levamen ſentientes: alii velut à luce illuſtrati humilitatis amicti veſte inde procedunt. Qui verò abſque his duobus effectibus ab oratione exeunt, corpore non ſpiritu orant.

XX. Si orationis infuſæ, & ſupernaturalis gratiam à Deo miſericorditer recepiſti, ſumma diligentia eam cuſtodi,

ne thesaurum cœlitus immissum tua culpa, & socordia amittas. Et primo quidem valde humilis esto, teque omnino tanta gratia indignum agnosce, & fatere te nullatenus eam mereri potuisse. Illos deinde, quos hujusmodi donis carere conspicis, ne contemnas, aut minoris æstimes, perfectio enim non in his gratiis extraordinariis, sed in ferventiori amore Dei, & majori tolerantia consistit. Cave etiam ne nimium afficiaris erga consolationes & delicias spirituales, quæ infusam orationem comitari solent; sed memor psalmi præcipientis, *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*; divinæ voluntati conformare te stude cum plena resignatione ad carendum in perpetuum talibus donis, & vivendum, si Deo placuerit, in ariditate, & desolatione. Quod si tibi subtraxerit Deus gratiam hujus orationis, & cœlestes illæ divinarum consolationum aquæ defecerint, fuge otium, & strenuè incumbe solidarum virtutum exercitationi, & orationi mentali magis ordinariæ, donec iterum aspiret dies, & lux Spiritus sancti denuo cordi tuo illucescat. Denique hoc donum, dum eo potiris, humilitatis

velo sapienter occulta, nec ob illud inaniter insolesce: nam quò magis te abjicies, eò altius ab eo exaltaberis, qui superbis resistit, & gratiam præstat humilibus.

§. XII.

Aspirationes pro quotidianis exercitationibus.

UT in omni actione tua mens nunquam à Deo deflectat, eam subinde ad ipsum elevabis ignitis aspirationibus, quas in principio, progressu, & fine cujusque operis ex intimo cordis affectu elicies. In exemplum sequentes propono.

Adjuva, dirige, & conforta me Domine, ut tecum, propter te, & secundum te hoc opus perficiam, quia sine te nihil sum, nihil possum. Suscipe sancta Trinitas unus Deus hoc exiguum servitutis meæ obsequium ad maximam tui gloriam, sitque mea unica delectatio, & merces magna nimis, ut in eo tibi placeam, licet toti mundo displiceam. Mihi pro minimo est, ut ab hominibus judicer, aut ab

humano die; neque diem hominis desideravi, tu scis: sed ad te sunt oculi mei, qui habitas in cœlis.

Purga me Domine ab omni impuritate, averte omnem tepiditatem, & negligentiam, da vires menti, & corpori, illumina intellectum, accende voluntatem, & da huic operi salutarem progressum, ut à te cœptum per te perficiatur.

Accende me, & promove ad omne opus bonum, clementissime Pater, ut in beneplacito dilecti Filii tui tibi placitis actibus semper merear occupari.

Serviat tibi Domine Deus, quidquid ago, lego, & scribo; quidquid cogito, dico, & intelligo, omne opus meum à te incipiat, & in te finiatur.

Hunc meum laborem tibi, Domine Iesu gratum faciant omnium electorum tuorum labores & quidquid ab eis pro tui amore, & honore gestum est: omnia enim illorum opera offero tibi, & per te Patri tuo & ad gloriam tuam.

Ah si mihi liceret elongari ab hominibus, & procul à negotiis vivere in solitudine, quales delitiæ! sed si tu, Domine, aliter disponis; fiat voluntas tua.

Quàm bonum est, & quàm jucundum

tibi nudè, & ſimpliciter adhærere, Deus meus, qui primum principium es, & ultimus finis. Atque utinam, cum foris verſor maxima pars mei in te quieſcat, in quo eſt vita mea, & gaudium & voluptas.

Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, ut mecum ſit, mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore.

Pœnitet me Domine temporis inutiliter tranſacti: pœnitet quod parum hactenus te dilexi. Vtinam deinceps in rebus tibi placitis ſemper occuper.

Veni cœleſtis amor, & ſplendidiſſima luce tua diſſipa tenebras ignorantiæ meæ, tuoque ardore vivifica languentem animam meam, ut videam ſemper quid agere debeam, & illud opere compleam.

Domine Ieſu omnes negligentias meas, & omnia peccata in ſanguine tuo pretioſiſſimo, & in abyſſo tuæ infinitæ charitatis, ac miſericordiæ immergo, & projicio, rogans te humiliter, ut ea ad nihilum redigas, & abſorbeas, & nunquam amplius compareant.

CAPUT III.

De Officii Divini recitatione.

§. I.

De Præparatione ante Officium.

NIHIL magis necessarium Religioso, quàm ut attentè, devotè, & reverenter divinum Officium persolvat; de qua re hic breviter agendum est. Incipio autem à proxima præparatione, quæ nocturnis vigiliis tota præmitti debet, ante reliqua verò officia post redditas Deo gratias, quod te incolumen usque ad eam horam custodierit, ea tantum meditaberis, quæ à puncto quarto & deinceps descripta sunt.

1. Nocturno tempore audito signo, quo ad vigilias excitaris, quod à sancto Dorotheo Angelicum nuncupatur; considera illam esse vocem Dilecti pulsantis, & dicentis, *Aperi mihi soror mea sponsa*: Statimque surgens præpara illi habitaculum cordis tui, ne si fortè mo-

ram feceris in surgendo, ille declinet à te, & animã tuam aridam, & desolatam relinquat. Dic ergo illi cum S. Job; *Vocabis me Domine, & ego respondebo tibi, operi manuum tuarum porrige dexteram:* Et cum Psalmographo, *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo, & psalmum dicam: exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara, exurgam diluculo.* Quod si timore magis, quàm amore afficeris; excipe signum illud tanquam tubam illam terribilem, quæ extrema judicii die in auribus omnium horrendum illud personabit, *Surgite mortui, venite ad judicium.* Ideoque statim cum festinatione è cubili prosiliens, Deique timore concepto dic, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.* His, & aliis hujusmodi affectibus mentem diligentissimè occupabis, ut primitiæ cogitationum diem festum agant Deo.

11. Excitatus à somno considera te in medio laqueorum esse, quibus invisibiles hostes te ex omni parte irretire conantur: quapropter signo Crucis muni-

tus orationis arma aſſume, & ignitis aſpirationibus ad Dei laudes te excita, de qua re vide quæ ſupra notavi §. 1. cap. 1. Dum verò hæc agis torporem, & ſomnolentiam viriliter excute elevatis manibus, flexis genibus, expanſis brachiis, vel alia ſimili corporali exercitatione.

III. Quia nihil coinquinatum intrat ad Deum, & beſtia, quæ tetigerit montem lapidabitur, examina poſt hæc conſcientiam tuam, & ſi quid culpæ in ea inveneris, plange coram Domino delictum tuum: etſi nihil tibi conſcius es, cave elationem, & dic cum Propheta, *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.* Tum actum contritionis elice, *Peccatori enim dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?*

IV. Viva fide apprehende te verſari in oculis Dei, Domini infinitæ majeſtatis, benefactoris infinitæ liberalitatis, judicis infinitæ juſtitiæ, patris infinitæ benignitatis, ſponſi infinitæ amabilitatis, & propone nullas admittere mentis evagationes.

V. Actum ſimpliciſſimæ, ac puriſſimæ intentionis

intentionis ferventer exerce: omnes cogitationes, verba, & opera tua offer Deo ad honorem, & gloriam ejus, & te perfectè resigna in omne beneplacitum ipsius. Officium verò recitare propone, ut Deum colas, & laudes: ut eidem gratias agas pro innumeris beneficiis: ut ei placeas, & gratum adhibeas sacrificium: ut supremam ejus excellentiam, & tuam subjectionem protesteris: ut iratum eum mitiges: ut pro peccatis tuis satisfacias: ut Ecclesiæ præceptum adimpleas: ut omnia tibi, & fratribus tuis vivis, & defunctis necessaria impetres: ut virtutum augmentum obtineas: ut tuę voluntatis cum divina unionem impetrare quandoque valeas. Tum statue cum magna reverentia, attentione, & devotione totum officium persolvere in unione illius reverentiæ, attentionis, & devotionis, qua Jesus Christus Dominus noster orabat in terris. In honorem quoque beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, eorum præsertim, quorum festivitas ea die celebratur: & in memoriam eorum mysteriorum, propter quæ illud officium est institutum.

VI. Audito ultimo signo puta astare

tibi Angelos clamantes, *Ecce sponsus venit, exite obviam ei*: atque illico affectionum tuarum aptatis lampadibus curre in locum tabernaculi admirabilis usq; in domum Dei. Dic cum sanctis Regibus, *Hoc signum magni Regis est, eamus, & inquiramus eũ, & offeramus ei munera*, sacrificium pingue, & holocaustum medullatum. Considera quàm magnum opus sit Deum laudare, ante cujus conspectum virtutes cœlorum contremiscunt. Et quis es tu pulvis, & cinis, ut loquaris ad Dominum tuum? Humiliare itaque, & relictis in ingressu chori cunctis terrenis cogitationibus ingredere donum Dei, & dic: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Deinde adora sanctissimum Sacramentum, & sanctos, quorum altaria, & reliquiæ ibi sunt. Si transis per cæmeterium, ora pro fidelibus defunctis: & dic: *Salvete Christi fideles animæ, quæ hic, & ubique requiescitis; Iesus, qui pro vobis passus, est, vos consoletur, & requiem vobis æternam donare dignetur per intercessionem B. Mariæ, & omnium sanctorum, quam adeptæ memores mei estote. Amen.*

VII. Cum perveneris in chorum considera universalem Ecclesiam unam, eamdemque esse, & quæ in cœlis coronata triumphat, & quæ adhuc in terris militans suspirat ad patriam. In ea omnes creaturæ pro modulo suo Deum collaudant, Angeli, homines, bestiæ, & universa pecora, volucres cœli, & pisces maris. Lætare igitur, quod sic ab hominibus glorificetur Deus, & desidera omnium Justorum omniumque Beatorum, & Angelorum fervorem, & charitatem habere. Divinum denique auxilium implora, ut ipse qui solus potest, tumultuantium cogitationum, & affectionum comprimat turbam, insidiantes coerceat dæmones, intellectum illuminet, inflammet affectum, & omnia interiora, atque exteriora tua sub certæ compositionis disciplina moderetur.

§. II.

Oratio ante Officium.

GRatias tibi ago Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, ob innumerabilia beneficia tua, præsertim

verò quia uſque ad hanc horam me cuſtodire, & à multis periculis miſericorditer præſervare dignatus es. Inſuper elegiſti me in ſortem tuam, ut miniſtrarem in templo tuo, tibique laudes canerem die, ac nocte. Ego autem tanto benefactori ingratus in terra Sanctorum iniqua geſſi, & delicta mea creverunt uſque ad cœlum. Ideo percutio pectus meum, & procumbens humiliter ante thronum majeſtatis tuæ infinitam clementiam tuam deprecor, ut facias cum me indigniſſimo ſervo tuo ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ, quoniam corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Ne derelinquas me Domine Deus meus ne diſceſſeris à me. Non enim mortui laudabunt te, neque narrabunt miſericordiam tuam qui deſcendunt in infernum, ſed vivens, vivens confitebitur tibi, ſicut & ego hodie, & pſallam nomini tuo quandiu fuero. Obſecro igitur, ne me cantantem laudes tuas projicias à facie tua, ſed propter tuam bonitatem, & inexplicabilem perfectionem, per Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri Incarnationem, vitam, & paſſionem: per beatæ Mariæ ſemper Virginis,

ſpirituum beatorum, omniumque Sanctorum merita, & interceſſionem ſanctifica me, & emunda ab omni inquinamento mentis, & corporis: da ſermonem rectum, & bene ſonantem in os meum, ut placeant verba mea in conſpectu tuo: excita me ab omni torpore, & pigritia: expugna impunantes me, & comprime impetum inimicorum. Fac mecum ſignum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur: ſenſus externos ſub omni diſciplina, & honeſtate compone. Reple mentem, & memoriam placitis tibi objectis, & imaginibus. Illumina intellectum ſplendore gloriæ tuæ, & amoris tui facibus voluntatem accende. Inclina aurem tuam ad preces meas, & præſta ut intimo affectu te adorem, te glorificem, tibi gratias agam, tuamque benignitatem pro me, & omni populo efficaciter implorem. Eſto mihi in Deum protectorem, ut in voce laudis reddam tibi vota mea, obſequium ſervitutis meæ. Ego ſum, ego ſum, qui Domino canam, pſallam Domino Deo Iſraël. Tua eſt Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria: & non eſt qui poſſit reſiſtere

voluntati tuæ. Tibi laus debetur ab omni creatura; cuncta enim, quę in cœlo sunt, & in terra, tua sunt. Tibi sancti, & humiles corde, tibi spiritus, & animæ justorum gloriam concinunt sine fine. Ego quoque licet peccator te summopere laudare desidero, & sic honorem afferre tibi, quoniam tu dixisti, sacrificium laudis honorificabit me. Accipe itaque laudationem meam, vitulos labiorum meorum, & quia vir pollutus labiis ego sum, sanctifica me, & mitte Angelum tuum, qui calculo ignito emundet cor meum, & faciat me dignum laudibus tuis. Scio Deus meus, quod probes corda, & diligas simplicitatem. Unde & ego in simplicitate cordis mei lætus offero hoc officium, quod nunc debeo ex Ecclesiæ tuæ pręscripto recitare. Illud inquam offero in unione illius perfectissimæ laudis, & dilectionis, quibus altissima Trinitas se laudat, & amat: in unione omnium laudum, orationum, & exercitiorum Domini nostri Jesu Christi, beatissimæ Virginis, omnium Angelorum, & Sanctorum, eorum præsertim, quorum hodie memoriam agimus, quæ tibi ob-

tulerunt, & offerent ab initio mundi usque in æternum: in unione omnium bonorum, quæ à fidelibus tuis fiunt, facta sunt, & perficientur: in plenitudine sensuum, quos intendit Spiritus sanctus juxta intentionem Ecclesię, & superiorum meorum, & secundùm meam specialem intentionem, & omnium proximorum indigentiam. Suscipe illud, summe Deus, in omnigenam hostiam, & oblationem ad majorem tui gloriam, in memoriam Incarnationis, vitę, & passionis Domini nostri Jesu Christi; ad honorem beatæ Virginis, & omnium Sanctorum; ad nostram, & omnium, pro quibus intendimus, vel debemus, vel tu scis, & vis nos orare debere, salutem, pacem, & prosperitatem: itemque in refrigerium omnium animarum existentium in Purgatorio, pro conversione omnium infidelium, & pro pace, & prosperitate totius mundi. Et nunc, Domine, memor esto mei, & exaudi me: nec enim ex affectu meo, vel in justificationibus meis, fiduciam habeo orandi ad te; sed ex affectu, pietate, & devotione piissimi cordis Filii tui Domini mei Jesu Christi, & purissimæ Matris ejus, & omnium

justorum, qui tibi placuerunt ab initio, de quibus scriptum est, Desiderium pauperum exaudivit Dominus, prȩparationem cordis eorum audivit auris tua. Attende Domine, & ne repellas orationem meam, quam servus tuus orat coram te hodie, tibi gratias agens pro omni bono quod es, quod habes, quod operaris: pro omnibus, quæ pro nobis pertulit Unigenitus Filius tuus in assumpta humanitate: pro omnibus donis à te collatis, & conferendis Deiparæ Virgini, Angelicis spiritibus, sanctis hujus diei, meis specialibus advocatis cunctisque electis tuis, atque universis rationalibus, & irrationalibus creaturis.

In peculiarem quoque commemorationem talis mysterii, vel objecti hac hora recolendi. Eia ergo piissima Virgo Maria mater Dei, & Advocata nostra, suscipe me in materna tua custodia, & directione; & has canonicas preces tuis efficacissimis orationibus unitas offer Filio tuo ad nostram, omniumque salutem. Purgate me Angeli sancti, excelsi Principes, & domestici Dei, succendite cor meum, & laudes meas ante thronum Dei in turribulis aureis adolete.

Angele ſancte, cuſtos fideliſſime, reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi. Vos omnes feliciſſimi cives ſupernæ civitatis, qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri: Vos beatiſſimi N. & N. quorum me patrocinio, & tutelæ jam pridem commendavi: Vos N. & N. qui hac die de carnis ergaſtulo in veræ libertatis patriam evolaſtis; per ipſum vos rogo, qui vos elegit, memores mei eſtote, & orate pro me, cęteriſque miſerrimis peccatoribus, ut veſtris interceſſionibus adjuti levare corda noſtra cum manibus in oratione poſſimus. Præſtante Domino noſtro, quem jugiter laudare deſideramus benedictum, laudabilem, & glorioſum per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

§. III.

Praxis Attentionis.

1. TRiplex eſt attentio, materialis, formalis, & finalis. Praxis materialis in hoc dumtaxat ſita eſt, ut om-

nia verba integrè, perfectè, & distinctè pronuncientur, ita ut à sociis audiri, & percipi possint. Ad hanc tenentur omnes, etiam ignari linguæ Latinæ, sub gravioris culpæ reatu, ut per se constat.

11. Praxis formalis à D. Augustino Conc. 3. in Psal. 30. sic explicatur. Si orat psalmus, orate, si gemit, gemite; & si gratulatur, gaudete; & si sperat, sperate; & si timet, timete; omnia enim quæ hîc conscripta sunt, speculum nostrum sunt. Eamdem Cassianus probat, & docet capite 11. decimæ Collationis. Omnes, inquit, psalmorum affectus in se suscipiens ita incipiet decantare, ut eos non tanquam à Propheta compositos, sed velut à se editos, quasi orationem propriam profunda cordis compunctione depromat; vel certè ad suam personam æstimet eos fuisse directos, eorumque sententias non tunc tantummodo per Prophetam, aut in Propheta fuisse completas, sed in se quotidie geri, implerique cognoscat. Eumdem namque respicientes cordis affectum, quo quisque decantatus, vel conscriptus sit psalmus, velut auctores ejus facti præcedemus magis intellectum ipsius, quàm

ſequemur. Hæc Caſſianus, ex quibus liquet hoc genus attentionis nonniſi doctoribus convenire, qui ſenſum pſalmorum literalem, & myſticum percipiant, & ſanctorum Patrum in ipſos lucubrationes frequenti manu verſarint. Eſt autem hæc attentio cæteris omnibus facilior, utilior, atque evagationibus minus ſubjecta, ſanctorumque Patrum documentis, ac Eccleſiæ ſpiritui magis conformis.

III. Poſtremus attentionis modus doctis, & indoctis communis eſt, per quem finem orationis reſpicimus, qui eſt Deus. In viris doctis formalem attentionem non excludit, ſed perficit. Doctores ſpirituales varias methodos adinvenerunt reſpiciendi jugiter Deum dum oramus, vel certis quibuſdam ſignis materialibus adhibitis, quæ mentem percellant: vel aſſumptis objectis ex vita, & paſſione Chriſti: vel ſelectis quibuſdam contemplationibus ex divinis attributis: quæ omnia hîc tranſcribere, ut nimis laborioſum, ita & inutile foret. Hæc enim exercitia vix ad praxim reduci poſſunt ſine diſtractione, aut gravi capitis offenſione: nam continua attentio ad illas

ſignorum diſtinctiones, ſi diu adhibeatur, caput lędit; ſi verò interrumpatur, inde ſequuntur diſtractiones.

§. IV.

Vnde eliciantur devotionis affectus.

QUinque ſunt fontes è quibus inter pſallendum hauriri poterunt devotionis affectus. Primus fons copioſior cęteris ſunt ipſimet pſalmi, qui cum diverſis deſerviant affectibus, aptiſſimi ſunt ad excitandam in corde devotionem. Ut ſi pſallas verſiculum illum, *Domine non eſt exaltatum cor meum*; Sic poteris affectus excitare: Utinam numquam fuiſſet exaltatum cor meum; ô ſi cor meum numquam exaltaretur. Væ mihi, quia revera exaltatum eſt cor meum. Quando fiet iſtud, Domine, ut non exaltetur cor meum. Secundò poterunt affectus educi ex ſingulis verbis, cum præſertim ſub unica voce multiplici notarum decurſu protrahitur cantus: ut ſi hoc nomen, *Pater*, audiatur in cantu, protinus aſſurgere debet animus ad tanti Patris amorem,

& reverentiam: ad orandum fiduci aliter pro necessitatibus nostris: ad generosum terræ contemptum; ad supernæ hereditatis desiderium, quam Pater filiis suis præparavit in cœlo. Tertiò eliciuntur adjiciendo verbis psalmorum quædam adjectiva, ut si legas versum, *Miserere mei Deus*, dices, Deus bone, & misericors, cui proprium est misereri semper & parcere: benignissime Domine, suavis, & clemens miserere mei nequissimi, immundi, & abominabilis peccatoris, qui tam multipliciter te optimum Patrem offendi. Quartò eruuntur ex circumstantiis orationis, considerando nimirum quis oret, quem, pro quibus, quid petat, cur, quando, & alia ejusdem generis. Tandem hauriri potest affectus ex objectis vitæ & passionis Christi, quæ possunt singulis officiis assignari. Illud porrò notandum, ut pro diversitate orantium mutentur affectus secundum exercitia triplicis viæ purgativæ, illuminativæ, & unitivæ. Incipientes enim flere peccata debent & ingemiscere, ac timere: proficientes virtutum augmentum petere, seque Domino ad heroicas virtutum actiones ma-

gnanimè offerre : perfecti verò ad unionem cum Deo ardenti amore suspirare.

§. V.

De privata Officii recitatione.

QUi privatim Officium extra Chorum recitant, tametsi suprascripta omnia servare non possint, satagere nihilominus debent, ut suæ pensum servitutis reverenter, attentè, & devotè reddant, integra verba distinctè pronunciantes, statutam servantes horam, nisi necessitas excuset, & locum aptum quærentes, atque à distractionibus remotum. Utantur etiam situ decenti cum timore divino flectentes genua, ut Regulæ suæ capite 50. sanctus Benedictus decernit. Hoc autem præceptum tanto olim rigore servabant Cistercienses, ut etiam iter agentes, & equitantes horis constitutis descenderent, ut flecterent genua. Cum verò Cluniacensibus hujus Monasticæ sanctionis transgressionem objecissent, Petrus Venerabilis his verbis respondit, lib. 1. epist. 28. de genuflexionibus regularium horarum quid-

quid regula jubet omnimodis custodimus, & antequam horam decantare incipiamus, ubicumque simus cum timore divino genua flectimus. Prohibet hoc aliquando nimius imber, condensa nix, lutulenta tellus, & tunc loco moetaneæ psalmum Miserere mei Deus decantamus, ut tali commutatione præceptum, quod implere non possumus, recompensemus. Cave itaque, ne, dum privatim recitas, cursim, & perfunctorie Officium tuum persolvas, sed quantum fieri poterit præscripta documenta observes, præmissa præparatione, & una ex suprascriptis attentionibus adhibita, ne oratione tua Deum provoces ad iracundiam.

§. VI.

De fine cujusque Officii.

MEliorem esse finem orationis, quàm principium sapientissimus mortalium asseverat: pendent enim à fine omnia, & quod postremò adjectum est secum rem totam traxisse videtur. Studet orator ea præclara facere, quæ

ſunt in fine orationis, ut cum plauſu recedat. Athleta ſi, vel omnibus victis victus fuerit ab ultimo, nonne ſe ipſum, & gloriam perdit? Ita oratio laudabilis non erit, niſi optimo fine terminetur.

I. Officio igitur peracto recogita primò quid in recitatione tranſgreſſus ſis, quot, & quales defectus in attentione, devotione, & reverentia commiſeris, & de iis veniam pete cum dolore, & contritione, ac propoſito emendationis. Si quid autem omiſſum, vel cum culpabili diſtractione perſolutum eſt, ſtatim ſupple, & culpam pœnitentia delere non differas.

II. Gratias Deo age, qui te ſuis laudibus quamtumvis indigniſſimum intereſſe, & eas immundo ore decantare permiſit. Deinde tuum obſequium per manus B. Virginis, & omnium Sanctorum, eorum præſertim quorum feſtivitas celebratur, Domino offer in unione meritorum Chriſti juxta intentiones initio præfixas.

III. Defectus, quos commiſiſti quàm primum expiare ſtudeas cum propoſito emendationis.

§. VIII.

§. VII.

Oratio post Officium.

GRatias tibi ago Domine Deus misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, quòd meas indignas orationes audire dignatus sis, & de manu mea laudum tuarum sacrificium suscipere. Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, Domine mi, qui consolatus es me, & fiduciam præbuisti orandi te? Dimitte Domine, secundum magnitudinem misericordiæ tuę quidquid in tuo servitio scienter, vel ignoranter peccavi, & admitti jubeas ante conspectum Majestatis tuæ deprecationem servi tui. Vide afflictionem meam amaram nimis, & omnes transgressiones meas in vulneribus ablue dilectissimi Filii tui. Suscipe preces, & laudes, quas effudi coram te cum laudibus, & orationibus Domini mei Jesu Christi, Beatissimæ Matris ejus, beatorum Angelorum, & omnium Sanctorum, eorum præcipuè quorum hodie festivitas celebratur: ad majorem tui gloriam, & su-

premam latriam, ad totius Curiæ cœlestis venerationem, ad meam, meorumque omnium utilitatem, & salutem, sicut tu scis, vis, & potes. Recordare fragilitatis meæ, & ignosce confitenti per unicè tibi dilectum Jesum Christum Filium tuum, in cujus mellifluum cor officium meum, & omnia opera mea trado, ut ea emendes, suppleas, purifices, & acceptes. Pie Jesu Fili Dei, & Mariæ Virginis dignare de manu clementissimæ Matris tuæ suscipere hoc tepidum, & distractum officium, & unitum tuis ardentissimis orationibus Patri tuo repræsenta. Responde quæso, satisfac & supple pro me plenissimè. Tu verò Pater benignissime respice in faciem Christi tui, & miserere mei, atque omnium pro quibus orare debeo, gratiam tribuens te dignè semper laudandi, & glorificandi, per ipsum, & cum ipso, & in ipso, cum quo, & Spiritu sancto unus es Deus, unus es Dominus laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in secula. Amen.

CAPUT IV.

DE FINE DIEI.

§. I.

De examine Conſcientiæ.

PErfectio, & puritas Chriſtianæ vitæ hoc à nobis exigeret, ut quæcumque agimus attentè ſemper examinaremus, ita ut vita noſtra continuum examen eſſet: ſed quia paucorum eſt iſta virtus, id ſaltem in fine diei agendum eſt. Die igitur peracto ſingulas actiones tuas internas, & externas cum omnibus circumſtantiis attentè diſcuties, & quas à regula perfectionis deſciviſſe repereris, acri cenſura coram Deo reprehendes.

1. Hoc autem examen inchoaturus cogita te ab Angelo tutelari ad divinæ clementiæ tribunal accerſiri ad reddendam rationem, certa tibi oblata ſpe obtinendæ veniæ, & miſericordiæ, dummodo errata tua contritione eluere, pœnitentia expiare, & fervore ſpiritus

compensare studueris. Ideò cum recta intentione, & unica fide præsentis Dei tanquam amantissimi Patris, cum magna humilitate, reverentia, & fiducia prosterne te ante thronum divinæ gratiæ inter phalanges Sanctorum, qui mediante hoc exercitio suas olim stolas in sanguine Agni dealbarunt.

11. Examinandæ conscientiæ quinque sunt partes. Prima est commemoratio beneficiorum Dei, & humilis, ac fervida gratiarum actio. Tua enim improbitas divinæ liberalitati collata majorem tibi pudorem incutiet. Gratias autem ages pro beneficiis communibus, & particularibus, tum præteritis, tum illius diei; imò & pro futuris; pro occultis item, & ignotis, idque brevissimè, & ferventer, hac vel simili ratione. *Gratias tibi ago, Domine Deus meus, pro universis beneficiis tuis, quæ mihi hodie, & toto tempore vitæ meæ misericorditer contulisti. Tu enim, benignissime Pater, ex æternitate vidisti, & dilexisti me: tu ex nihilo me creasti, & usque ad hanc horam conservasti, atque propter me omnia sapientissimè regis, & gubernas: tu me redemisti pretioso sanguine Filii tui: tu*

me Christianum, & religiosum, & Sacerdotem fecisti; atque in hoc statu ab innumeris peccatis, & defectibus præservasti, vitæ perfectæ desiderium dedisti, bonos instinctus, & sanctas inspirationes immisisti, emendationem meam patientissimè expectasti, longiusque spatium tibi serviendi, & lucra spiritualia congregandi tribuisti. Sit nomen tuum benedictum in secula, quia gratiæ tuæ munitus præsidio à multis hodie calamitatibus, & miseriis corporalibus, & spiritualibus, te præservante, liber evasi. Pro singulis etiam naturæ, & gratiæ donis, his præsertim quæ ipse cœcus non video, & ignoro; pro innumeris beneficiis mihi, & omnibus creaturis exhibitis, & exhibendis ex totis præcordiis meis gratias ago & meo, & omnium creaturarum nomine, & affectu: atque id continuare desidero purè propter te in omnem æternitatem.

III. Secunda pars est postulatio gratiæ, qua culpas tuas dignoscere valeas, & defectus investigare. Nam cum pravum sit cor hominis, & inscrutabile, & amor proprius in discernendis delictis tenebras offundere, & excusationum

tricas nectere soleat, vix poteris lapsus tuos dignoscere, nisi desuper lucem immittat Pater luminum, qui scrutatur renes, & corda. Sic igitur post gratiarum actionem orationem prosequeris. *Nunc verò, Domine, his beneficiis tuis, per eandem charitatem tuam æternam erga me, aliud adjunge illuminans tenebras meas & gratiam tribuens omnia peccata, & negligentias meas agnoscendi, detestandi, & emendandi, ut tibi deinceps per omnia placeam, & dignos faciam pœnitentiæ fructus.*

IV. Tertia pars in ipsa discussione conscientiæ sita est, qua te ipsum intus, & in cute agnoscere studeas. Ea facilis, & fructuosa erit, si ordinatè, succinctè, & exactè instituatur. Exactè, ita singula expendendo, ac si ea subitò in confessione explicare deberes. Succinctè, non immorando diutiùs quàm par sit in singulis defectibus excutiendis. Ordinatè, certam methodum servando, quæ triplex esse potest. Prima, ut discutiantur priori loco cogitationes, & affectus, tum verba prolata, & audita, demum opera, & omissiones. Secunda plura continet capita. Nam primò discurrere

debes circa cogitationes, si fuerint charitativę ad Deum, bonæ ad proximum, humiles ad teipsum, puræ ad carnem, & mundum. Secundo circa sensus, si fuerint disciplinati, custoditi, verecundi, non curiosi, non in varia, & vana objęcta dispersi. Tertio circa locutionem, si fuisti in ea brevis, tardus, circumspectus. Quartò circa opera, si operatus es quod debes, quod licet, decet, & expedit. Quintò circa conversationem, si fuisti in ea maturus, humilis, & benignus. Sextò circa omissiones, quàm negligens fuisti in lectione, oratione, & executione boni operis; in corde custodiendo, tempore expendendo, fine intendendo; ad dolendum de peccatis, ad resistendum tentationibus, ad proficiendum in virtutibus. Septimò metiri debes quantum quoq; die defeceris à priori fervore, profeceris in intento fine, abjeceris de solitis imperfectionibus. Tertia, quæ videtur commodior, est ut discurrendo per singulas actiones, & exercitia diligenter inquiras quid singulis horis ab ultimo examine elapsis peccaveris contra Deum, proximum, & teipsum; cogitatione, verbo, opere, & omissione.

Cæterum non sufficit in singulis actionibus examinandis commissa peccata invenire eorumque radicem, quamvis hic sit finis præcipuus examinis; sed ratio insuper habenda est omnium quorumcumque defectuum,& inquirendum, an defuerit eis aliqua perfectio, an tepidè peractæ sint, an irrepserit inanis gloria, vel finis distortus, & minus recta intentio. Vide etiam, & considera, an aliquod bonum supererogationis data occasione omiseris, an in omnibus elegeris quod perfectius est; etsi quod Dei beneficium in ipsa actionum discussione occurrit memoriæ, statim pro illo breviter, & ferventer Domino gratias age. Hæc si servaveris,eam conscientiæ teneritudinem assequeris, quæ quoslibet nævos mentis oculis statim subjiciet expiandos.

v. Sequitur quarta pars, quæ in dolore consistit, & detestatione peccatorum, ac proposito emendationis. Quare expedita conscientiæ discussione summo cum fervore doloris actum elicies non solùm de occurrentibus noxis, & imperfectionibus, sed etiam de peccatis occultis, & de reliquis totius vitæ tuis,

&

& alienis, qui dolor ex amore Dei profectus ipsi Deo summopere placet. Formula hæc esse potest. *In his, & aliis multis, quæ propter cœcitatem meam ignoro, peccavi hodie coram te, Domine Deus misericordia mea, & pro omnibus bonis quæ tribuisti mihi, mala tibi retribui, & ingratitudinem. Doleo de his omnibus, & ea detestor super omnia alia mala propter te Domine, quem super omnia bona diligo, nec mea solum peccata maximopere mihi displicent, sed & omnia totius mundi, quæ utinam impedire possem, ut omnes te infinitè amabilem agnoscerent, amarent, glorificarent. Ignosce mihi, & omnibus, Pater misericordiarum, omnes enim offensas hujus diei, & totius vitæ meæ, ac totius mundi in abyssum projicio infinitæ misericordiæ tuæ, & per mortem Filii tui rogo te dimitte quicquid peccatum est, & da gratiam, ut deinceps purius vivam. In te confido Domine, & sperans in adjutorio gratiæ tuæ firmissime propono non peccare amplius, & mores meos emendare.*

VI. Quinta demum pars est castigatio aliqua, sive mulcta, & pœnitentia

pro peccatis commiſſis, cum qua ſimul offeres merita Chriſti, & Sanctorum hoc modo. *In ſatisfactionem verò peccatorum meorum offero tibi Deus meus, Vitam, Paſsionem, Crucem, & Mortem Domini mei Ieſu Chriſti, merita beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, illorumque plenarias, & tibi gratiſſimas ſatisfactiones, totam inſuper vitam meam, animam meam, & corpus meum ad omne beneplacitum tuum in tempore, & æternitate, cum vero, inſatiabili deſiderio plenius juſtitiæ tuæ ſatisfaciendi; & hanc mulctam, quam mihi impono.* Mulcta autem hæc erit, orationem Dominicam cum Angelica ſalutatione, vel aliquem plaſmum flexis genibus recitare, terram aliquoties oſculari, cilicio per diem carnem affligere, & alia ejuſdem generis.

§. II.

De examine Particulari.

NUllum efficacius remedium ad vitia extirpanda, & acquirendas virtutes, reperitur, quàm ſingulari certa-

mine unum quodque vitium aggredi, & quotidie contra ipſum pugnare, donec expugnetur, inſtituto de hac re examine particulari: quo in negotio ut te prudentiùs, & ſecuriùs geras, tum in electione vitii impugnandi, tum in ipſa examinis praxi, ſequentes induſtrias obſervabis.

1. Ideo ſancti Patres hoc examen ſummopere commendant, quia medium expeditiſſimum eſt, & efficaciſſimum ad extirpanda vitia, ad evellendos defectus, ad inſerendas animo virtutes, & ad omnimodam perfectionem brevi tempore conſequendam. Eſt igitur ejus materia valde copioſa, & latiſſimè patens; omnia videlicet vitia, & defectus, ut eradicentur: ſenſus, potentiæ, & paſſiones, ut rectè ordinentur: virtutes omnes, ut acquirantur: quotidianæ actiones, ut optimè fiant, & ubi opus fuerit, reformentur.

Inter hæc autem ſervare hunc ordinem debeo, ut hoc ſingulare certamen ab eo inchoes vitio, quod tibi magis infeſtum eſt. Etſi à pluribus infeſtaris, à faciliori incipiendum, quo ſuperato, animum ſumes ad cætera diffi-

ciliora profliganda. Si verò æquè gravia, & difficilia sint, illud prius invade, quod reliquorum radix, & fons est. Vitiis autem extirpatis, in quæ frequentius labi consueveras, cujusmodi sunt gula, ira, superbia, & pigritia in rebus agendis; examen institue circa transgressionem illius regulæ, quam sępius violare soles, qua in re primum locum dabis transgressioni silentii; est enim hoc simpliciter necessarium ad gratiam devotionis, & unionem cum Deo comparandam. Cum porrò à te abegeris frequentem lapsum in vitia, & omnem regulæ violationem, assuesce per hoc examen quotidiana, & ordinaria opera rectè facere: quibus feliciter peractis, tunc primum, & non ante ad virtutum acquisitionem accede. Et primò quidem actus internos, & externos pœnitentię exercebis, secundò humilitatis, tum obedientiæ, indifferentiæ, & patientiæ, quæ sunt solidiores, & magis necessariæ, & ex his ad alias progredieris.

11. Electo vitio, seu virtute, de qua examen instituendum est, ejus naturam, gradus, signa, actus, effectus, proprie-

tates, occasiones, motiva, & incitamenta prænoscere oportet; Considerabis etiam à quanto tempore in te regnet illud vitium, quod impugnare proposuisti, an & quomodo creverit; quibus locis, & occasionibus te magis infestet. Quæ sit ejus virtutis, quam vis adipisci, utilitas, excellentia, & necessitas; qui gradus insigniores, & tuæ indigentiæ conformiores, quos pro examine seliges, & in charta notabis. Quod si plures sint unius vitii, vel virtutis actus, utile erit eos per partes aggredi, ut faciliùs exscindi valeant. In eadem charta tot lineas duces, quot sunt dies hebdomadæ, ut in his possis quotidianas transgressiones singulis diebus annotare.

III. Frequenter considera, an proficias, & cureris; an assumpta remedia sufficiant, vel alia adhibenda sint. Huc dirige omnes orationes tuas, & exercitia pietatis; atque initio saltem diei occasiones prævide lapsuum; vel victoriarum cum petitione ad id auxilii divini. Sæpe item propositum vincendi renova, & ne memoriæ defectu hoc omittas, juvare hanc poteris vel signis certo loco positis, vel funiculo,

ſive catenula ad brachium circumligata. Cum verò agnoſces te deliquiſſe, manu pectori admota doleas de lapſu, quod aliis præſentibus, nec advertentibus facere potes: ſtatimque elice actum contrarium illi defectui, ut eadem opera & habitum pravum extirpes, & bonum acquiras.

IV. In exercendis virtutum actibus nimia contentio, & coacta quædam ſervitus fugienda eſt, quæ caput fatigat, libertatem ſpiritus tollit, & piæ voluntatis affectus impedit. Ideo non debes ad certum penſum actuum te ſerviliter adſtringere, quaſi eos præterire nefas ſit; ſed eum modum ſerva, quem tibi commodiorem expertus fueris. Mihi facilior & utilior iſte videtur, ſi quidam actus breviſſimè, & ferventiſſimè eliciantur, vel ante ſingulas horas canonicas, vel quoties horæ ſignum dat horologium, hac ferè verborum internorum formula, exemplum ſumendo ab humilitate. *Domine non ſum dignus aſpicere altitudinem cæli, Domine non ſum dignus calcare hoc pavimentum, per quod tranſeunt tot ſervi tui me longè meliores. Paratus ſum Domine Deus*

meis, ad omnem vilipensionem, & contemptum, quia sic exigunt peccata mea. Da ut contemnar ab omnibus, & pro te ad nihilum redigar. Fac me tanquam pavimentum mundi, ut ab omnibus conculcer, & indignissimè tracter.

V. In extirpatione unius vitii tandiù immorari debes, donec facilè valeas insurgentem ejus impetum coercere, ita ut nec semel quidem in illud labi per notabile tempus contingat. Solent quidem diu sopita vitia aliquando reviviscere; sed non ideo desperandum est, nam contra illa pugnamus, non ut penitus vincamus, sed ne vincamur. Virtutis autem exercitatio tamdiu durabit, quoadusque possis secundum eam absque difficultate operari.

VI. Hoc examen tria tempora complectitur. Primum est matutinum statim ac à somno surrexisti, quo proponere debes diligentem tui custodiam circa vitium, vel virtutem, quod evellere, vel quam acquirere desideras; pro qua re gratiam petes à Deo cum profunda humilitate, & tui diffidentia. Secundum est pomeridianum ante vel post prandium, quo rationem exiges à

te ipſo omnium tranſgreſſionum circa prædictam materiam, ſingulas diei partes percurrens ab hora qua ſurrexiſti uſque ad præſentem: & quoties lapſus fuiſti, tot puncta in linea notabis. Tertium eſt veſpertinum, cum mox cubitum iturus es, quo eodem modo diſcuties conſcientiam tuam numeratis vicibus, quibus poſt priorem diſcuſſionem deliquiſti, hiſque notatis ſeparatim in linea ad hoc præparata.

VII. Modus in diſcuſſione tenendus hic eſt, ut primò gratias agas, tum lumen, & gratiam defectus tuos cognoſcendi ab eo petas, qui illuminat abſcondita tenebrarum. Sequitur diſcuſſio, poſtquam concipiendus eſt dolor de admiſſis, proponenda emendatio, & aſſumenda brevis aliqua pœnitentia. Sunt qui hoc examen cum quotidiano conjungunt; idque neceſſarium erit perſonis occupatis. Sin autem ſeparatum fiat breviſſimis ſuſpiriis poterit expediri hoc modo. *Quàm bonus, & liberalis erga me huc uſque fuiſti Deus meus infinite amabilis; humiliter id agnoſco, reverenter ſuſpicio, & toto cordis affectu gratias ago. Dignare, Domine, mi-*

ſerationibus tuis plurimis, & maximis hanc addere gratiam, ut lapſus contra propoſitum meum cognoſcam, & emendem. Inito autem numero lapſuum ſic dolorem excitabis. *Quàm ingratus fui erga te, dulciſſime Deus, quàm quotidie abutor bonitate tua! Intimè doleo de his, & omnibus defectibus meis purè propter te, & propono deinceps cautius vivere & me ſeriò emendare. Ignoſce Domine, & perfice deſiderium meum.* Si verò nullum deprehendis lapſum gratias age. *Tibi laus, honor, & gloria, Clementiſſime Pater, qui me ſic præſervare, & gratia tua adjuvare dignatus es. En paratum Cor meum ad omne beneplacitum tuum: tu me cuſtodi, fove, & conſerva præſidio gratiæ tuæ, ut tibi perfectè ſerviam, & placeam, & nunc, & in æternum.* Poſt hęc, collatio inſtitui debet, quæ in hoc conſiſtit, ut defectus in ſecunda diſcuſſione repertos cum defectibus primæ conferas, unius diei culpis diei præcedentis lapſus compares, hanc hebdomadam cum altera quæ præceſsit ut ſic diſcernere queas an proficias vel deficias. Tandem juvabit ad faciliorem

emendationem tot opera pœnitentiæ ſponte aſſumere, quoties ea die in defectus ſeu commisſione, ſeu omisſione circa propoſitam materiam incidiſti.

§. III.

Exercitium Veſpertinum.

ABſoluto conſcientię examine, antequam cubitum eas hoc exercitium peragendum eſt.

1. Gratias Deo ages pro omnibus beneficiis naturalibus, & ſupernaturalibus præſtitis tibi, domui in qua habitas, civitati in qua es, ordini ſeu congregationi tuæ, reliquis mundi hominibus, amicis, & inimicis, vivis, & defunctis. Deinde à Deo petes propter merita Chriſti, & omnium Sanctorum remisſionem omnium peccatorum tuorum, domus, Civitatis, Congregationis, & cæterorum ut ſuprà. Tum Deum rogabis, ut propter eadem merita concedat ea, quæ petis, & quibus indigent omnes ſuprà dicti. Denique offeres Deo merita Chri-

sti, & sanctorum pro beneficiis tibi & reliquis concessis: pro peccatis à te & aliis commissis: & pro necessitatibus tuis, & cæterorum. Hæc autem omnia in sequenti oratione continentur.

Oratio.

EXaltabo te Deus meus rex, & laudabo nomen tuum in sęculum sæculi; quia de excelso cælorum habitaculo respicere dignatus es super me indignissimum servum tuum. Venite, audite, & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Ab æterno ordinavit me, ex antiquis, antequam terra fieret; & videns me in communi, & infelici sorte filiorum Adam ob labem originalem damnationi obnoxium, ab aliis innumeris pereuntibus segregavit me, & dilexit me priusquam essem. Cum verò jam esse cæpissem aliis pluribus præmatura morte raptis, me ad gratiam baptismatis perduxit, & in gremio Ecclesiæ constituit; corpusque aptavit mihi integrum, & ad animæ functiones idoneum; & sol intelligentiæ

ortus est mihi, ut scirem viam justitiæ, & semitas perfectionis. Crescente autem ætate creverunt erga me miserationes ejus, & cùm sacrilega perversitate ab eo recessissem in regionem dissimilitudinis præferens creatori creaturam, hostem Redemptori, ipse me attraxit ad se, & in sortem suam vocavit, ut filius ejus per gratiam nominarer, & essem. Vicit nimirum malitiam meam charitas ejus, & benignitas ipsius peccata mea superavit. Quid retribuam tibi Domine Deus meus pro omnibus quæ tribuisti mihi? aut quis me separabit à charitate tua? Tu propitiatus es iniquitatibus meis, tu liberasti me de inimicis meis, tu sanasti omnes infirmitates meas, tu sanguine pretiosissimo Filii tui redemisti de interitu vitam meam, & replevisti animam meam omni benedictione. Tu in dulcedine tua mensam parasti mihi habentem omne delectamentum, mensam prorsus divinam, in qua anima mea de te Deo meo saginatur. Et quis sum ego vilissimus terræ vermiculus, ut invenirem gratiam in oculis tuis, & tot bonis cumularer? Tuam itaque magnificentiam in æternum can-

tabo gratias tibi agens pro innumeris, & maximis beneficiis quæ ex momento conceptionis meæ uſque in hanc horam de tua benignitate ſuſcepi, pro innumerabilibus, quæ in hoc temporis momento à te ſuſcipio; pro infinitis, quæ uſque in finem vitæ meæ & per totam æternitatem ſum accepturus. Gratias item ago tibi pro univerſis donis immenſæ largitatis tuæ quæ liberali manu tua contuliſti huic Domui, in qua nunc habito, & omnibus in ea habitantibus; huic congregationi, & membris ejus ab ipſius origine uſque in præſentem diem huic item civitati, quam magnifica gratia tua cum civibus, & incolis ejus protegis, & conſervas; cunctis quoque hominibus juſtis, & improbis, amicis, & inimicis, vivis, & defunctis, ac univerſis creaturis tuis quas è nihilo produxiſti non propter te, qui bonorum noſtrorum non eges, ſed ut mihi, & electis tuis ſervirent, & nos tibi. Omnia hæc, & alia beneficia quibuſcumque conceſſa tanquam mea ſuſcipio, & eo magis te laudo & glorifico, quominus quidam ex illis, quibus benefeciſti, te agnoſcunt, & benedicunt. Et hæc qui-

dem præstitisti mihi, quamvis ego pulvis, & cinis, & vapor ad modicum parens injurius tibi fuerim, & quotidie peccatis meis contristaverim spiritum tuum. O quàm doleo ex amore tui, quod unquam offenderim te, & mandata tua prævaricatas sim! Ignosce Domine, placare Domine, attende, & fac propter temetipsum: & per merita dilectissimi Filii tui Redemptoris nostri, in quo tibi bene complacuit, per ejus acerbissimam passionem, & mortem atrocissimam, qua peccata nostra portavit; per merita quoque, & intercessionem sanctissimæ Virginis Mariæ, sanctorum Angelorum, & omnium electorum tuorum dele, obsecro, peccata mea, neque reminiscaris iniquitatum servorum tuorum, omnium domesticorum, civium, & fratrum meorum, cunctorumque hominum amicorum & inimicorum meorum, vivorum, & defunctorum. Perveniant ad te voces, & singultus omnium ad te clamantium, neque perdas nos cum iniquitatibus nostris, quia tu ès Deus longanimis, & misericors & placabilis super malitias hominum, & secundum multitudinem boni-

tatis tuæ pœnitentiam decrevisti iis, qui peccarunt, & verè contritis promisisti remissionem. Memor esto fragilitatis nostræ, & charitatis tuæ, & projice in profundum maris omnia delicta nostra, quibus iram tuam provocavimus, ut loti, & reconciliati in sanguine filii tui cantemus laudes tuas in sempiternum.

Respice in faciem Christi tui, & ne avertas vultum electorum tuorum tecum in cælo regnantium, per quorum merita, & intercessionem obsecro clementiam tuam, ut mihi miserabili servo tuo atque universis fratribus meis mecum in hac domo, & congregatione, & in hac civitate commorantibus cunctisque hominibus amicis, & inimicis, vivis, & defunctis omnia necessaria ad salutem animæ, & corporis largiri digneris. Da nobis sincerè, & perseveranter servire tibi fortia agendo, & dura tolerando. Da contemptum omnium rerum terrenarum, veramque resignationem, & cum tua voluntate concordiam. Reple totum mundum fide, ac scientia tua, & omnes infideles ad te converte. Da inimicis meis quos intimè diligo, amorem tuum, &

pacem, quam filius tuus reliquit nobis. Da fidelibus defunctis, ut ad te citò perveniant, te que regnantem videant in secula seculorum.

Commoveant paterna viſcera tua Domine pericula noſtra, & propter gloriam nominis tui libera nos ab omni malo: neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis, & in immenſa charitate unigeniti Filii tui, quem pro nobis tradidiſti, ut eſſet ſalus, & propitiatio noſtra. Hujus meritis onuſtus ad te accedo, & ea offero tibi ſimul cum meritis, & precibus Beatiſſimæ genitricis ejus, omniumque Angelorum, & Sanctorum, in gratiarum actionem pro univerſis beneficiis tuis, quæ mihi, huic domui, & congregationi, huic civitati, & hominibus quibuſcumque amicis, & inimicis, vivis, & defunctis miſericorditer contuliſti. In ſatisfactionem pro omnibus peccatis à me commiſſis, & pro peccatis omnium commorantium in hac domo, & congregatione in hac civitate, & in mundo univerſo, ſive amici mei ſint, ſive inimici, ſeu vivi, ſeu defuncti,

defuncti. Ad impetranda denique omnia bona mihi, & aliis necessaria ad salutem animæ, & corporis. Memento omnium, pro quibus sanguinem suum pretiosum effudit Filius tuus, & præsta per Passionem, & mortem ipsius, ut peccatores & tepidi ad vitam bonam, & ferventem convertantur: ut tentati, & afflicti liberentur, & consolentur: ut sancti in Ecclesia tua multiplicentur, perfectèque vivant, & perseverent: ut ego tandem ad apicem sanctitatis semper aspirem, plenusque meritis moriar liber ab omni culpa, & pœnæ obligatione. Amen.

II. Dices sequentem orationem. *Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium & Crucis subire tormentum.* Per familiam verò intelliges Ecclesiam triumphantem, militantem, & purgantem; & primæ quidem aliquod gaudium accidentale, alteri omne auxilium, tertiæ quàm citissimam libertatem desiderabis.

III. Ter versus quatuor mundi partes genua flectes Deum adorans in gra-

tiarum actionem pro beneficiis in qualibet earum concessis : in satisfactionem peccatorum ibi commissorum : in petitionem auxiliorum, quibus totius mundi necessitatibus subveniatur.

IV. Semel flectes genua versus eam partem, qua proximo in templo repositum est sanctissimum Sacramentum gratias agendo pro beneficiis, quæ tu, & alii ex eo percepistis : dolendo de peccatis, quæ contra illud à blasphemis, & indignè communicantibus perpetrantur, rogando ut tibi mediante communione accedat copia cælestium bonorum juxta copiam meritorum ejus.

V. Somnum futurum offeres Deo ad ejus gloriam, in omni respiratione Deum laudare, & glorificare intendens, teque Virgini Deiparæ, Angelo custodi, & Sanctis tutelaribus commendabis.

§. IV.

Aliud exercitium ſive oratio veſpertina.

CONfitebor tibi in toto corde meo Deus meus, bonitas infinita, & narrabo mirabilia tua, quia magnificata eſt hodie miſericordia tua ſuper me, & liberaſti animam meam à perditione. Et unde hoc mihi, ut recorderis mei præveniens me tot benedictionibus dulcedinis, & charitatis tuæ? Tu ab æterno dilexiſti me, & in ſplendoribus Sanctorum vidiſti tenebras meas. Tu me ex nihilo condidiſti, & è numero pereuntium miſericorditer exemiſti. Tu ex utero matris meæ factus es protector meus, & ſegregaſti me in ſervum tibi. Tu propter me omnia gubernas, & regis, & quæ ad me pertinent efficaciſſima providentia diſponis. Tu me hac die ex innumeris ereptum periculis multis, & mirabilibus beneficiis cumulaſti, & in me oſtendiſti divitias tuæ immenſæ bonitatis. Et quis ſum ego, ut invenirem gratiam in oculis tuis, meque reſpicere dignareris de-

ſublimi throno gloriæ tuæ, & hæc dona tua largiri mihi? Tu potentiſsimus, & immenſus, ego vapor, & nihil: tu ſapientia, & lumen, ego tenebræ, & ignorantia: tu fons bonitatis, ego vermis, & non homo, & omnes juſtitię meæ ſicut pannus menſtruatæ. Et tamen non ceſſas diligere me, & egenam animam meam bonis tuis locupletare. Ideo benedicam te omni tempore, quia eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos à lapſu, cum tamen ego miſerabilis peccator, & ſervus ingratus contriſtaverim hodie ſpiritum tuum peccatis meis. Et nunc, Domine, pœnitet me peccaſſe, miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam. O! ſi numquam te offendiſſem! ô ſi præcepta tua, & regulam meam numquam tranſgreſſus fuiſſem! Atque utinam, Deus meus, cras tibi perfectius ſerviam, & omnia creata ſpernens te unum timeam, & diligam. Quid enim mihi prodeſt, quod hodie talia dixerim, viderim, audierim. Tu ſolus potes animam meam ſatiare, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quando venies ad me, & me totum poſſidebis? Veni, Domine, fac me

unum tecum, & cor meum abſtractum ab omni creatura tibi ſoli impollutum conſerva. Nam quid proderit univerſa vanitas, cum veneris ſicut fur in nocte? Revela igitur oculos meos, ut conſiderem noviſſima mea, & proſpiciam ſaluti meæ. En vitæ, & ſalutis incertus perveni ad finem hujus diei. In manus tuas commendo ſpiritum meum. Redime me, & miſerere mei, quia unicus, & pauper ſum ego. Credo tibi ſumma veritas, in te ſpero ſalus mea, te diligo, & amplector toto corde, tibique renovo vota mea paupertatem, obedientiam, & caſtitatem; omnia enim, quæ feciſti, magna voce clamant, ut diligam te, cùm ſis unicum, & omne bonum meum.

Aperi mentes omnium, quos creaſti, eorum præſertim pro quibus orare debeo, ut tibi Regi cœlorum honor, & gloria ab omnibus tribuatur. Radicitùs extirpa omne peccatum, & vitium, diſcordiam, infidelitatem, errores, opiniones. Peccatoribus pœnitentiam, juſtis perſeverantiam, afflictis conſolationem, inimicis noſtris charitatem largire. Sit in omnibus patientia, benignitas, hu-

militas. Miserere omnium animarum in pace quiescentium, & da illis requiem sempiternam. Tu suavissime amator omnium diei, ac noctis alternas vices summa sapientia disposuisti, ut diurno labore fessas vires somni quies reficeret. Sed licèt capiendæ quieti tributa sit nox, an non licebit etiam noctu te amare? Amor enim quies est animi, & te diligere quiescere est. In tuum igitur amorem tanquam in somnum suum incumbat cor meum, ô meta, ô finis, ô centrum animæ meæ. Veni divine Amor, & tu mihi somnia dispone. Da mihi trahere anhelitum de mellifluo corde tuo, da sanctè, & pudicè somnum capere, sitque omnis respiratio mea omnium Angelorum affectibus imbuta.

Vos Angeli sancti, vigiles cœli, agite pro me, dum dormio, excubias amoris, & vestro semper vigilanti affectu summum bonum diligite. Sit opus vestrum quod meum est votum, ut amabilis Deus nunquam intermisso amoris sacrificio ab omnibus colatur. Tu Angele gloriose, qui mei curam suscepisti, asiste mihi hac nocte, hostemque nostrũ comprime, ne noxiis phantasmatibus animi, & cor-

poris puritatem lædat. Tuere me ab omni malo, & crastina die statuto tempore excita ad psallendas Dei laudes. Adeste sancti, & electi Dei, vos presertim Patroni mei N. N. supplete vices fragilitatis meę, & custodite hujus noctis vigilias super me, Deumque pro me laudate, dum ego dormio, & me ab omni malo defendite. Tu denique beatissima Virgo mater pulchræ dilectionis, protege me hac nocte sub umbra alarum tuarum. Monstra apud Filium tuum te esse Matrem, Matrem gratię & misericordiæ, mihique impetra cor castum, & purum, ut in eo quiescat hac nocte dilectus Filius tuus Dominus noster, qui pascitur inter lilia, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

§. V.

Quid noctu servare oporteat.

PEracto examine conscientiæ, atque orationibus recitatis te honestè ad quiescendum compones, quod ut sanctè, & meritoriè perficias, hæc observabis.

1. Antequam vestimenta deponas,

percurre breviter puncta futuræ meditationis, dispone de actionibus diei sequentis, prævide quid facere, quid dicere debeas purificando intentionem, terram tribus vicibus osculare cogitando primò quia pulvis es, & fortassis hac nocte in pulverem reverteris. Secundò quia Verbum caro factum est, totum te ei resignando, & invitando ut cras ad te veniat in sanctissimo Sacramento. Tertiò, quia peccatis tuis locus infimus debetur, & excita contritionem. Post hæc flexis genibus pete benedictionem à sanctissima Trinitate, à Christo Domino, à B. Virgine, ab Angelo Custode, à sanctis Tutelaribus. Demum protestare coram Deo, & sanctis ejus te nolle somno indulgere ob voluptatem, & propriæ sensualitatis inclinationem, sed ob naturæ necessitatem, & divinæ voluntatis ordinationem.

11. Cum te exuis, memor esto præsentiæ Dei, & Angelorum. Cogita Christi denudationem in passione, vel animæ tuæ nuditatem ob virtutum inopiam, vel horam mortis; qua rebus omnibus caducis spoliaberis; vel primi parentis peccatum, propter quod veste

innocentiæ

innocentiæ exutus fuit, & elice his cogitationibus congruentes affectus. Cum verò lectum aperis, meditare ſepulchrum, & futuram citò horam, qua illud ingredieris. Ideo quaſi moriturus omnia terrena contemne, ad Deum ſuſpira, renova vota tua, & memor ſententiæ in judicio particulari pronunciandæ, magnum Dei judicis timorem concipe, dic aliquoties, *Ieſus Maria*, deinde dic, *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.*

III. In ſtrato te honeſtiſsimè compone in latere dextero, junctis manibus in modum Crucis ante pectus, & decenter tectus etiam in magno æſtu: nec crebro te vertas, ſed quietè cuba memor Chriſti in Cruce pendentis, tum propter Angelicæ puritatis ſtudium, quam te oportet ęmulari. Recumbens dic in corde tuo, *Domine Ieſu Chriſte, quàm multi ſunt miſeri in toto mundo, qui & tecto, & lecto carent, tui nihilominus filii, mei fratres, tuo pretioſo ſanguine redempti, & multò meliores me. Da illis Domine patientiam, & miſerere mei.*

IV. Dum ſomnum expectas, ſanctæ

alicui meditationi incumbe, ne vacua mens inanibus cogitationibus occupetur: idcirco ad hunc effectum semper aliquid tecum deferes, in quo placidè dormias, quod somniare juvet, quod te vigilantem excipiat, & statum bonæ intentionis restituat. Juvabit pro hac re somnium capere cum beata Virgine peregrina in stabulo, vel cum eadem fugiente in desertis Ægypti, vel cum Jesu infante in præsepio, sive cum eodem pernoctante in monte, vel jacente in sepulcro. Juvabit item imaginari circa lectum sanctissimam Trinitatem, B. Virginem, Angelos, & sanctos Tutelares, quos devotè salutabis: ad pedes autem lecti dæmones, quos detestaberis.

V. Si fortè cubanti negetur somnus; nec opportunum tunc videatur animum referre ad rerum spiritualium meditationem, ne somnus expetitus ea contentione magis prohibeatur, somnum simulabis, & finges cogitatione te sacro vulneri pectoris Christi os applicare, atque ibi per vices attrahens, & reddens spiritum, pronunciabis mente vocem, JESUS, priorem videlicet syllabam cum recipis spiritum, posteriorem cum red-

dis, idque perges facere, quoties ſpiras, & reſpiras, donec ſopiri poſſis.

VI. Si ante ſomnum ſubrepat aliqua ſuggeſtio, ſeu tentatio Sathanæ, cave ne in illa obdormiſcas, ſed quamprimum opportunis remediis reprime, qualia ſunt oratio, noviſſimorum recordatio, refugium ad vulnera Chriſti, in ſinu beatæ Virginis, ſub alas Angeli cuſtodis. Imprime fronti, & cordi ſignum Crucis, recogita æternitatem, & ſi neceſſe fuerit ſurge, proſterne te in oratione, nec ceſſes divinum implorare auxilium, donec redeat tranquillitas. Eadem remedia proderunt tibi, ſi, cum expergiſceris, ſimilis infeſtatio inimici inſurgat, ne ſubito ingraveſcens incautum opprimat. Si ſubito pavore concutiaris, oppone dæmoni ſignum Crucis, & ferventes aſpirationes ad Deum, ipſumque adverſarium, & ejus terriculamenta contemne.

VI. Quoties expergiſceris, mentem protinus piis ſuſpiriis ad Deum eleva, & dic, *Deus propitius eſto mihi peccatori, educ me de tenebris, & umbra mortis, & voca me in admirabile lumen tuum. Tuere me Domine, ne tenebri-*

cosa peccati caligine involvar: eripe me ab omni inquinamento carnis, & spiritus: pervigiles tribue cogitationes, & mentem sobriam, ne me gravis opprimat sopor. Fiat hæc nox illuminatio mea in deliciis meis, quoniam memor fui nocte nominis tui Domine. Recordare item passionis Domini Jesu, eique gratias age, quod ipse te dormiente ad tui custodiam excubias agere non gravetur. Invita lunam, & stellas, & Angelos ad laudandum Deum: ora pro defunctis, & pro peccatoribus. Et tamen discretione utere, ne somnus naturæ necessarius ob nimiam contentionem plus æquo abrumpatur.

CAPUT V.

MISCELLA DIVERSARVM exercitationum.

§. I.

De generali examine sui ipsius.

TRIPLEX est conſcientiæ examen. Unum generale, quo unuſquiſque librat, & diſcutit proprium ſpiritum, ut perſpciat in quo gradu vitæ ſpiritalis reperiatur, ut quomodo profiſciat in ſtudio perfectionis. Alterum eſt examen quotidianum quod ter in die inſtitui debet, mane, meridie, & veſpere noctis, ac diei acta ad calculos revocando. Tertium eſt particulare, quod ad vitium aliquod extirpandum, vel virtutem acquirendam inſtituitur. De quotidiano, & particulari dictum eſt ſuprà, hîc de generali agendum eſt.

1. Ad hoc faciendum recipies te in locum aliquem ſecretum, & ab omni ſtrepitu expeditum; teque in ſpiritu prope Crucem collocabis, & in conſpectu

Christi Crucifixi, à quo lumen, & auxilium petes, quo possis te ipsum dignoscere, & deprehendere, & languescentem spiritum renovare. Tum diligenter investigabis, & solerter expendes ea, quæ progressum tuum in studio perfectionis retardant, & impediunt, habita ratione triplicis viæ purgativæ, illuminativæ, unitivæ. Firmum deinde propositum excitabis quælibet impedimenta amovendi, defectuum radices extirpandi, & studiosè proficiendi; gratiamque ad id necessariam à Deo humiliter postulabis.

11. Impedimenta profectus in via purgativa hæc ferè sunt. Non habere zelum majoris puritatis animæ. Parvi facere peccata venialia, nec ea solicitè cavere, & expiare. Nimium sibi fidere, nec præcavere occasiones tentationum, & lapsuum. Studium mortificationis interioris, & exterioris negligere. Divinos instinctus, & superiorum admonitiones dissimulare, & parvipendere. Libenter se effundere ad res exteriores, liberè sensibus, & cogitationibus evagari, ægrè ad cor redire, otium amare. Aliorum dicta, & facta facilè carpere,

jocis delectari, pia colloquia fastidire. Solatia avidè quærere in cibo, potu, somno, recreationibus, nugis, & fabulis. Conscientiam cursim, & perfunctoriè examinare absque seria compunctione, & proposito melioris vitæ. Confiteri ex arida consuetudine, absque vero doloris sensu, & desiderio emendationis.

III. Profectum in via illuminativa hæc sunt quæ retardant. Non magni æstimare eximiam virtutum perfectionem, nec ad eam aspirare. Non frequentare ferventer internos virtutum actus. Externos item actus sine spiritu exercere, materialiter potiùs quàm formaliter. Exactam votorum, & regularum observantiam non tanti æstimare, uti par est, nec à parvis transgressionibus abstinere. Parum solicitum esse de puritate intentionis, ejusque continuatione, & crebra renovatione. Abjecta officia, & humilia fugere. Ad otiosam vitam aspirare, & labores declinare. Non habere accuratam temporis rationem, & visitationes, atque discursus tædii vitandi causa avidè amplecti. Examen particulare prætermittere, & de virtutis perfectione

acquirenda desperare. Non esse ad omnia indifferentem, sed vilioribus speciosiora anteferre.

IV. Obstacula, & signa defectus in via unitiva hæc esse solent. Circa Missam, & usum sanctissimi Sacramenti tepidum esse. Divina obiter meditari sine fructu, & affectu: & orare vocaliter cursim sine attentione, & devotione. Piis colloquiis minimè affici, librorumque spiritualium lectionem fastidire. Usum aspirationum, & exercitium divinæ præsentiæ omittere. Frigidè, & rarò internos actus amoris Dei, & proximi elicere. Externos item absque debita intentione, & devotione peragere. Non purè in omnibus Deum quærere, nec conari ei placere propter seipsum. Languere in zelo animarum, & in peculiari devotionis affectu erga Deum, & cœlites. Tepescere, ac ferè animum despondere, cùm de perfecta resignatione, & unione cum Deo assequenda tractatur.

V. Hoc examen semel saltem in hebdomada institue, suprascripta puncta attentè percurrendo, & cùm notaveris quid te maximè à perfectione retardet, ad hoc amovendum omnem adhibe dili-

gentiam. Conſidera tuam naturalem complexionem, educationem, & conſuetudinem, atque peccata, in quæ olim ſæpius labi conſueveras; ea enim ſolent ſui veſtigia uſque ad finem vitæ altiſſimè impreſſa relinquere, & ad ea radicitùs evellenda ſtrenuè laborandum eſt. Diſcute totius diei functiones, & exercitia, & attende præcipuè quid in ſingulis intendas, & qualiter ſingula obeas ab initio diei uſque ad finem.

VI. Expende gradus virtutum, & vide ad quem perveneris; an à contrario vitio ſtudeas te immunem ſervare: an omnes lapſus circa eam vites: an unquam heroïcos ejus actus exercueris. Vide quomodo te habeas erga Deum, ejuſque amorem, & cultum erga proximum, & ſuperiores, & erga teipſum, animam ſcilicet, & corpus.

VI. Adverte, & diſquire an contentus vivas juxta tuam vocationem, & libenter ſervias in ſtatu, & officio tuo: quid ſentias de inſtituto: quantum tempus orationi tribuas: an caſtitatem Angelicam ſecteris, & remedia contrariis tentationibus adhibueris: quem fructum ex uſu Sacramentorum percipias: an averſio-

nem ab aliquo, vel nimiam cum uno habeas familiaritatem. Mox scribe quæ in te emendanda repereris, & Deum ora, ut dignetur tibi ostendere quid à te potissimum velit. Debes autem præcipuè illas cogitationes, affectus, verba, colloquia, actiones, & omissiones examinare, quæ vix advertenti naturaliter quodammodo excidunt, quæque se produnt, cum languet spiritus, & natura sibi, ut ita dicam, relicta est, tunc enim propriis motibus ipsa natura agi solet, ex quibus disces qualis sis.

§. II.

Modus visitandi quotidiè Augustissimum Sacramentum.

NUllum efficacius instrumentum ad perfectionem, & unionem cum Deo, quàm crebra per diem Salvatoris nostri Jesu Christi in augustissimo Eucharistiæ Sacramento latentis visitatio. Praxis autem hujus nobilissimi exercitii his ferè monitis continetur.

1. Eundo ad templum considera, & admirare incomprehensibilem Dei amo-

rem erga te; non enim ſatis illi fuit ſub ſpeciebus Sacramentalibus ſuum tibi corpus, & ſanguinem, ipſamque divinitatem tam mirabili dignatione largiri; ſed jugiter etiam uſque ad conſumationem ſeculi in Eccleſiis aſſervari voluit, ut in omni neceſſitate certiſſimum ſubſidium, in omni tribulatione tutiſſimum perfugium, in omni rerum eventu præſentiſſimum conſilium in promptu haberes, ejuſque præſentia, quantum viatori licet, perfrueris. Cum novis igitur divinæ gratiæ auxiliis ſemper indigeas ad evitanda peccata, ſuperandas tentationes, & virtutes exercendas, quid optatius tibi contingere potuit, quàm apertum acceſſum ad eum jugiter habere, qui ſolus poteſt te adjuvare, erudire, & conſolari? Si Rex, vel Princeps magnæ potentiæ è regia ſua civitate ad exiguum oppidulum accederet, ut tibi viliſſimo homini benefaceret, nonne ipſi continuò aſſiſteres ſumma cum reverentia, amore, & gratitudine? Nunc autem Rex Regum, & Dominus dominantium ab excelſo cœlorum habitaculo deſcendens, velatis radiis majeſtatis ſuæ in exigua pixide latere voluit ob inenarrabilem erga

te amoris excessum: quam detestabile ingrati animi vitium foret non eum inflammatis amoris, & reverentiæ affectibus aliquoties saltem in die visitare, & tam insignem benignitatem contemnere? Quis amicus non libenter cum amico versatur? Quis Filius in suis necessitatibus non confugit ad Patrem cum summa alacritate, & fiducia? Quæ sponsa non frequentissimè cum sponso moratur? Hic autem amicus, & pater, & sponsus est animæ tuæ, fons gratiarum, & omnium bonorum thesaurus inexhaustus. Accede ad eum, & vide, & gusta, quàm suavis est, & delectabitur in crassitudine anima tua, dabitque tibi petitiones cordis tui.

11. His, & aliis hujusmodi considerationibus incitatus ingredere in domum Dei usque ad locum Tabernaculi admirabilis, & confusione tui plenus, Christi præsentiam viva fide apprehende, ipsumque adora in spiritu humilitatis, & animo contrito; ipse enim optimè novit quid sit in te, & quia nihil es; & ideò hoc recognosce, & fatere coram eo. Ipse scit omnia beneficia tibi collata, pro quibus gratias age. Ipse videt omnia

peccata tua, & malas inclinationes, quas recense in conspectu ejus, & veniam pete. Puta te Christum audire exprobrantem tibi ingratitudinem, & duritiem cordis, teque dignum omni malo pronunciantem in hac, & futura vita. Approba hoc judicium Christi, & tanquam executor ejus sententiæ priva te omni bono, & paratum offer ad omnem infamiam, ignominiam, tribulationem, ægritudinem, pœnalitatem, derelictionem, & mortem. Denique excita desiderium Deo ferventius serviendi, propone emendationem, & gratiam pete ad tui innovationem necessariam, atque ita te compone, ut illi placeas.

III. Ad evitandum tædium, quod in ejusdem exercitii frequenti repetitione subrepere solet, varia tibi motiva propones, propter quæ venerabile Sacramentum visitabis, quæ mutare subinde poteris nunc unum, nunc alterum assumendo. Fines autem, seu motiva hæc sunt. Ut ipsum adores, glorifices, admireris: ut offeras ei te ipsum, & omnia: ut ei gratias agas, ut indigentias tuas eidem exponas, & remedia postules: ut fruaris ejus præsentia, te

que cum ipſo unias & communices ſpiritualiter.

IV. Accede ad ipſum eodem ſpiritu & aviditate, qua pauper ad divitem liberalem, eſuriens ad convivium, ſitibundus ad fontem, diſcipulus ad magiſtrum, filius ad patrem, æger ad medicum. Sit devotus affectus tuus, & fervens; cumque corporaliter ad Eccleſiam ire nequis juſta de cauſa præpeditus, imitare Danielem, & tres pueros, teque ad templum converte, & preces tuas eò dirige, ac ſi preſens adeſſes, & vacuus non redibis.

V. Cum aridus es, & mentaliter orare non potes, pſalmum aliquem, vel hymnum, aut canticum recita ad rem accommodatum. Poteris etiam alicujus, vel plurium virtutum actus exercere modo infrà præſcribendo: poteris Litanias, aut Orationem Dominicam recitare, vel infrà ſcriptam orationem leges, & in receſſu à Christo Domino benedictionem petes, atque ei te ipſum, & omnes, pro quibus orare debes, obnixe commendabis.

§. III.

Oratio ante Sanctissimum Sacramentum.

AVe dulcissime Jesu, verus Deus, & verus Homo, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto te mihi nascens in socium, convescens in edulium, moriens in pretium, regnans in præmium dare dignatus es. Ave, & benedic calamitoso exuli tuo, meque recipe in tui amoris suavissimos amplexus. Avete manus venerabiles pro me cruci affixæ; Avete pedes speciosi pro me clavis confixi. Ave latus divinum pro me lancea vulneratum. Ave mitissimum cor mei peccatoris indignissimi amore saucium. Ego pulvis, & cinis indignus conspectu tuo ob innumera peccata mea, de quibus doleo, te Dominum meum & Deum meum hic verè præsentem omnium creaturarum possibili affectu saluto, adoro, laudo, & glorifico; & ab omnibus amari, laudari, & glorificari desidero in æternum, & ultra. Offero tibi, Domine

in perpetuum holocaustum voluntatem meam, arborem tuam, ut nec bona velle liceat mihi, nisi tu id per superiores significes. Quid enim scit puer tuus, benignissime Pater, quid expediat sibi, quam viam teneat cœcus in tot periculis, & ignarus viæ? Tibi cura est de me ab æterno, tu me dirige in viam mandatorum tuorum. Si me vis esse hîc omnium minimum ut sim maximus in regno tuo, nonne infinita est misericordia tua? Si vis me in omnibus obedire, & ab omnibus contemni, sequar vestigia tua, suavissime Redemptor, qui Deo Patri æqualis obediens ei fuisti usque ad mortem, mortem autem Crucis, & cum sceleratis reputatus es. Quod si immemor promissionis meæ, qua me tibi in servum sponte obtuli, toties optans fieri unicam voluntatem tuam, jam corporis, & sensuum commoda quæro; Si obliviscor prævaricationis meæ, & tui, Jesu, felle potati; si honorifica affecto, & vilem me agnoscens vilis haberi nolo, quanta mihi confusio in die illa in conspectu tuo! Absit hoc à me, Domine, ut detraham de holocausto tibi dudum oblato, ut non

non ſequar ſemper voluntatem tuam. Quæ eſt enim ſpes mea, & fiducia mea, & amor meus à juventute mea? Nonne tu Domine Deus meus? In te ergo ſperans, non confundar, te ſequens non errabo, te diligens non timebo. Poſſide Jeſu bone cor meum, & reple illud gratia tua. In te vivam, in te moriar, & tam in vita, quàm in morte cantabo tibi, quia bonus es, & in æternum miſericordia tua. Laudent te mecum cælum, & terra pro tot, ac tantis beneficiis tuis. Tu me amaſti ab æterno, etiamſi prævideres me aliquando te oſurum: tu me conſervaſti, & redemiſti, qui toties te vendidi pro viliſſima creatura: tu prodigum expectaſti, juſtificaſti impium, fragilem præſervaſti, & fugientem proditorem tuum miſericorditer vocaſti, ut collocares cum Principibus tuis. Et non ſufficit adhuc tanta charitas tua, ut amore liqueſcat anima mea?

Sed quod omnem ſuperat gratiam paſſus pro me extaſim amoris, paraſti in conſpectu meo hanc diviniſſimam menſam, in qua carnem tuam in cibum, & ſanguinem in potum tribuiſti, trahens

me ad te in funiculis Adę in vinculis charitatis.

Quis jam me ſeparabit ab amore tuo? Quis me impediet, ne me intimè tecum uniam? Dixiſti enim, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. O dulcisſimum Verbum! tu in me, & ego in te! O quanta dignatio! tu in me, & ego in te! O quantus amor! tu in me vili ſterquilinio, & ego in te ſummo bono! O qualis commutatio! tu in me, & ego in te! Quid ultra petere, & ſperare poſſum? Viſitas nos certè in ſalutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum. Et quomodo potero declinare à te, non jugiter adhærere tibi, qui tam copioſo munere gratiæ locupletaſti me, mihique præſens ſemper aſſiſtis in hoc memoriali pasſionis tuæ, in hoc compendio mirabilium tuorum? Laudo, & glorifico te, dulcisſime hoſpes animæ meæ, quod hoc Sacramentum in ultima cæna inſtituiſti, & in eo permanere nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi voluiſti. Omnes beatorum ſpirituum ordines te mecum magnificent, & exaltent, & gratias pro

me indigno referant, quod à me immundissimo peccatore attrectari, & sumi non sis dedignatus.

Gratias item ago tibi pro tribulationibus, tentationibus, & confusionibus, quas ad salutem meam esse voluisti, & me offero ad hæc, & postulo veste tua indui, obtestans per viscera misericordiæ tuæ, ut retribuas illis, qui suo fortè crudeli damno, & pœna tibi luenda, tantum bonum mihi attulerunt. Cupio tecum bajulare crucem, nudus nudum sequi, in te vivere, pro te mori. Hæc est ultima voluntas mea velut hodie morituri, coram te judice, & patre amantissimo, & curia Sanctorum, quos testes habebo infidelitatis, & tepiditatis si deterior evasero. Averte Domine, & dele in me servo tuo quidquid tibi displicet. Fac ut temporalium omnium fastidium habeam, cum hæc satiare nunquam possint. Tu verò Domine, omne bonum es, quies, & felicitas mea, & sola satietas animæ meæ. Quis ergo mihi tribuat, ut te solum diligam, te quæram toto corde, te in omnibus amem, qui in omnibus es, & operaris? Veni, bone Jesu, Jesu dulcissime,

ſuaviſſime, pulcherrime, potentiſſime, ſapientiſſime, gloria mea, & exaltans caput meum: veni, & ure cor meum, inebria me charitate tua, & fac me unum tecum, ſicut tu, & Pater unum eſtis. Diſpone & ordina de me creatura tua ſecundum beneplacitum tuum. Tuus enim ſum, & eſſe volo in ſæcula ſæculorum. Amen.

§. IV.

Modus orandi in ingreſſu Templi.

CUM aliquod templum iugrederis, primò adorabis Auguſtiſſimam Trinitatem, Sanctiſſimum Sacramentum, & ſanctos quorum Reliquiæ, & imagines ibi ſunt, præſertim ejus Eccleſiæ Patronum. Secundò gratias ages Deo prò donis gratiæ in hac vita, & gloriæ in altera Sanctis illius Eccleſiæ collatis, & pro omnibus beneficiis, quæ fidelibus conceſſit petentibus in illa Eccleſia. Tertiò gratias ages iiſdem ſanctis pro bona vita, quam egerunt, diem Deo in hoc ſæculo ſervierunt: & pro beneficiis, quæ impetrarunt ſupplicibus ſuis, &

devotis hominibus orantibus in templo illo. Quartò congratulaberis Deo, & Sanctissimo Sacramento, & Sanctis illius loci de felicitate, quam habent in gloria cælesti; & de honore, qui illis exhibetur in terris, præsertim in eo loco; & de bonis operibus, quæ ibi fiunt. Quintò dolebis de omnibus peccatis, quæ ibi, & alibi committuntur contra Deum, Sanctissimum Sacramentum, & Sanctos illos. Sextò Petes à Deo per merita Christi Domini in Sacramento existentis, & omnium Sanctorum illius loci, ut remittantur peccata, præsertim quæ ibi committuntur, vel ibidem aperiuntur in Confessione, vel sunt commissa, & confessa, utque eis detur gratia non amplius peccandi: ut exaudiat orantes in ea Ecclesia, si expediat ad eorum salutem; tibique concedat quod petis: ut à Purgatorio liberet animas, quarum corpora ibi quiescunt: ut det tibi gratiam sanctè vivendi, & ad gloriam perveniendi, quemadmodum illi Sancti vixerunt: & pervenerunt: ut ea largiatur, quæ peti solent pro lucranda indulgentia illius Ecclesiæ. Tandem omnes actus suprà scriptos unies cumme-

ritis Christi, & eorumdem Sanctorum; & sic ex corde Sanctissimæ Trinitati offeres ad ejus gloriam, & honorem.

§. V.

Quomodo quisque se gerat cum in aliquod peccatum lapsus est.

SI te contingat sive ex fragilitate, sive ex malitia in aliquod peccatum, vel defectum incidere, mentem protinus convertes ad Deum. Et primùm quidem vilitatem tuam ad animum revocabis, & actum odii erga te ipsum exercebis. Deinde recolliges te, & conversus ad Deum dices: *Domine Deus meus, ecce gessi me qualis sum. Quid enim à me aliud expectandum quàm sordes, lapsus, atque peccata? Doleo Deus meus ex toto corde meo, & fateor, quod multò deteriora perpetrassem, nisi me singulariter tenuisset dextera tua. Ideo gratias tibi ago, precorque ne sanctissimam Majestatem tuam me deinceps offendere permittas.* Hæc ubi sincero corde effuderis coram Deo, non eris solicitus, peccatumne dimiserit an non:

nam hæc curiositas superbiam sapit, & est gravissimus laqueus diaboli mentem reddens inquietam sine fructu. Teipsum itaque in paterna brachia clementissimi Dei projiciens exercitationes tuas resumes, ac si nunquam lapsus fuisses. Pueri nondum satis fortes ad ambulandum sæpius cadunt, & quia ex se surgere nequeunt, manum porrigunt matri, quæ eos erigit: tu autem Deo carior es, quàm Filius matri. Et licet una die sæpius labaris, nullatenus tamen de tua salute, & emendatione desperabis; sed solita exercitia iterum cum fervore inchoabis, omnibus viribus contendens, ut internam quietem animæ recuperes, & purè ad Deum te convertas. Turbatio enim ex admisso peccato proveniens non est indicium doloris ob offensam Dei, sed damnorum, quæ timentur, præsertim in diminutione famæ, & existimationis apud alios. Animi verò quietem sic ferè comparabis. Facta ad Deum conversione, & petita peccati venia; ipsiusmet peccati penitus oblivisceris, & solam ineffabilem dilectionem Dei contemplaberis, qua summopere desiderat se tibi unire, & æternæ bea-

titudinis te participem efficere. Sic constituto corde in pia quadam tranquillitate, iterum lapsus tuos recogitabis, totoque corpore prostratus coram Deo dices: *Ecce Domine, hic ante pedes tuos jacens manebo, nec discedam, nisi venia, & consolatione accepta. Si vis me mortem quantum vis acerbam subire in pœnam multiplicium peccatorum meorum, occide me, percute me, sed flagellis, & morte temporali, ut non maneam in æternum separatus à te. Ingemisco tanquam reus, culpa rubet vultus meus, supplicanti parce Deus.* Surge deinde, & detege, ac confitere lapsum tuum simpliciter, & humiliter Patri spirituali cum certa fiducia obtentæ à Deo indulgentiæ. Abstinebis autem à crebrioribus reprehensionibus, & internis afflictionibus, quæ á diabolo quandoque sunt satagente hujusmodi turbationibus hominem inquietum, pusillanimem, & tardum ad bona opera efficere. Tandem his verbis exercitium concludes. *Benedictus es Domine, doce me facere voluntatem tuam. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & con-*

& consolatus es me. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum ad faciendam voluntatem tuam. Loquere Domine, quia audit servus tuus. Pax, & benedictio tua sit super me semper. Amen.

§. VI.

De generali quadam Confessione spiritualiter peragenda.

OPtimum exercitium ad expurgandam animam à peccatis est aliquoties in anno ante præcipuas festivitates generalem totius vitæ confessionem non sacramentalem, sed spiritualem peragere. Differt hæc à sacramentali, quod illa Sacerdoti, hæc Deo fit: illa suos habet effectus ex opere operato, ut aiunt Theologi, hæc ex opere operantis: illa necessaria supposito peccato, hæc voluntaria est: illa voce, hæc solo corde fieri potest: illa à Christo instituta fuit in novo Testamento, hæc ab ipso mundi exordio incepit, eaque utebantur antiqui Patres in lege naturæ, & in lege scripta; estque etiam in usu in lege gratiæ, imò sacramentali

præmitti debet, ad quam nemo accedit, quin prius recogitaverit admissa peccata in amaritudine animæ suæ. Commoda, quæ affert, plurima sunt. Per hanc enim disponitur animus ad sacramentalem, acquiritur sui notitia, augetur meritum, & quia plus otii in hac est agendi cum Deo, prolixiùs quàm coram Sacerdote indulgere mens potest actibus contritionis, peccatique gravitatem magis expendere, & detestari. Cavendum est tamen, ne quis moram protrahat in peccatorum carnalium recordatione, ne dæmonum astu in veteres cadat laqueos impudicitiæ. Methodus servanda in hac confessione hæc erit.

1. Excitato ardenti desiderio hanc tanti momenti actionem non tepidè, aut perfunctoriè, sed bene peragendi, elige locum occultum, aut secretum noctis silentium, & colloca te in præsentia Dei sedentis tanquam judicis in tribunali, stipati choro Angelorum & Sanctorum: præsentibus specialiter B. Virgine, Angelo tutelari, Patronisque tuis paratis, ut tibi patrocinentur. His autem adstabis cum omni interna, &

externa reverentia, tanquam reus fune ad collum alligato, & præsentiam judicis cum timore, & tremore perhorrescens. Sic pudore suffusus dices: *Domine Iesu Christe, ego sum ille peccator nequissimus, miserrimus, abominabilis, qui majestatem tuam tot, tantisque criminibus offendi, ut illa enumerare non sufficiam, sicut arena maris præ multitudine numerari non potest.* Tum suspira, & ingemisce, qua majori efficacia poteris: illique dicito, te nullo alio fine ad hoc exercitium ferri, nisi ut seria admissorum scelerum pœnitentia, & detestatione injuriam resarcias Majestati ejus illatam, quod certè nunquam ausurus fuisses, si clementer ab ipso excitatus non fuisses. Dic etiam tibi statutum esse non inde recedere, quin priùs audias verbum consolationis, *Remittuntur tibi peccata tua.* Demum lumen petes, quo scelera tua cognoscas: affectus, quibus ea detesteris; media, & auxilia, quibus emendes.

11. His peractis accusa te de peccatis universis, præcipuè de gravioribus, etsi sæpe confessis, &, uti sperare potes, jam pridem remissis. Percurre om-

nia, recolendo diversa vitæ tempora ab usu rationis usque ad hanc horam, sequendo seriem præceptorum Dei, & Ecclesiæ, teque severissimè objurga, & in terram abjice cum maximo affectu doloris, & humilitatis. Sic autem per præcepta Decalogi discurres addendo singulis quæ specialiter in ea materia commisisti.

» Domine Deus meus confundor, & » erubesco levare faciem meam ad te, » quoniam iniquitates meæ multiplica- » tæ sunt super caput meum, & deli- » cta mea creverunt usque ad cælum; » sed sto coram judice reus, coram Re- » demptore servus, ideoque attollo men- » tem, & spem meam, ut propitius fias » peccatis meis, & deleas omnes ini- » quitates meas. Converte me, & con- » vertar, quia tu Domine Deus meus. » Fac ut memor sim unde exciderim, & » pœnitentiam, ac prima opera faciam. » Debui te Creatorem meum amare ex » toto corde meo: idem tecum velle, » ac nolle, & in te solo confidere, & » tibi credere. Sed heu! divisum fuit » cor meum, & posui carnem brachium » meum, & ad nihilum redactus sum.

Dereliqui te fontem aquæ vivæ, & „
fodi mihi cisternas dissipatas, nec me „
humiliavi sub potenti manu tua, cum „
in te solo vivere, & moveri possim. „
Insuper hæc, & hæc commisi. „

2. Quemadmodum autem cor meum „
abiit in vanitates; ita etiam lingua mea „
inflammavit rotam nativitatis meæ: „
quæque debuerat esse lignum vitæ, te „
laudare, de te loqui ô omne bonum, „
mihi, aliisque mortis occasionem de- „
dit. O beatum, & perfectum, qui non „
est lapsus in lingua: qui enim putat se „
religiosum esse non refrænans linguam „
suam, hujus vana est religio. O ter fe- „
licem qui vota sua, quæ distinxerunt „
labia sua, tibi perfectè reddidit. Ego „
autem multipliciter ea violavi, nomen- „
que tuum minimè sanctificavi. „

3. Atque utinam saltem delecta- „
tus in te fuissem, & sabbatum delica- „
tum servassem, in officiis tuis fervens: „
& exultassent labia mea, cum cantarem „
tibi; & in voce laudis tuæ omnia ossa „
mea jubilassent! inebriata enim esset „
terra mea, & locupleta ab ubertate „
domus tuæ; pinguia facta fuissent spe- „
ciosa deserti; & campi tui potentiæ „

» animæ meæ omnibus bonis abunda-
» rent. Nunc verò lingua mea adhæsit
» faucibus meis; contabuerunt omnia ossa
» mea; & orationes meæ atque sacrificia
» facta sunt mihi in peccatum propter
» innumeros defectus meos.

» 4. Quod si te, ut par est, dilexissem;
» cibus meus fuisset facere voluntatem
» tuam, idest superiorum meorum. Pro-
» pter te alacriter, & perseveranter o-
» bedissem illis, neque dura cervice Spi-
» ritui Sancto aliquando etiam in parvis
» restitissem, tu enim ad illos dixisti, qui
» vos audit, me audit. Hoc autem man-
» datum multis modis transgressus sum:
» sed & subditis meis necessaria non pro-
» vidi, onera non portavi, cum tu tibi
» fieri dixeris, quod uni ex minimis tuis
» fit.

» 5. O quantus hic esse stimulus debet,
» ne ullum cogitatione, verbo, & facto
» lædam; ne alicui injuriam faciam: sed
» pacem servem, quoad fieri potest, cum
» omnibus, pacem tuam, quæ exsuperat
» omne gaudium! sumus enim Filii tui,
» qui solem tuum oriri facis super bonos,
» & malos. Ego verò legis immemor na-
» turalis, quæ mihi fieri ab aliis noluis-

ſem, ipſis feci; vixque amicos, & be- «
nevolos dilexi, quod etiam ethnici fa- «
ciunt, & feræ. Te nimirum imitari re- «
cuſavi, & in numero filiorum tuorum «
cenſeri, cum ipſe præceperis dicens, «
Diligite inimicos veſtros, ut ſitis filii «
Patris veſtri, qui in cælis eſt. Quod ſi «
jubes inimicos amari, quem debeo «
odiſſe? «

6. Certè in extremo judicio à te «
agnoſci, & inter filios tuos computari «
vellem: Non ſtudui tamen longè face- «
re à me deſideria turpia, & illecebro- «
ſa, ut mundo corde te aliquando vide- «
rem: nec diligentiſſima oculorum, & «
ſenſuum cuſtodia repuli à me jacula «
ignita, igne illo candentia, qui ad in- «
ternecionem devorat, & ſancta om «
nia profanat. Violavi templum tuum «
corpus meum, & denigrata eſt ſuper «
carbones facies mea. Libera me ab om- «
ni immunditia mentis, & corporis, tu «
qui ſolus de immundo mundum facere «
potes: carnis concupiſcentiam longè «
fac à me, & ſpiritum rectum innova «
in viſceribus meis. «

7. Reſtringe etiam concupiſcen- «
tiam oculorum, ne cupiditate, radice «

» omnium malorum accensus aliena ca-
» piam, abscondam, retineam, damna
» inferam: ne rem proximi desiderem,
» ne malum ei aliquod inferri patiar, qui
» juxta mandatum tuum tribuere debeo
» mea, ac omnia potius derelinquere,
» quàm perdere te.

» 8. Et hæc quidem displicent Ma-
» jestati tuæ, sed longè magis os bi-
» lingue, & mendax, quia veritas es
» Deus meus, uti & proximum lingua
» percutere, famam illius denigrare,
» servum alienum judicare. Te enim dirè
» vulnerat, qui sic pungit fratrem suum:
» te cruciat qui affligit, & contemnit il-
» lum, quem tanto pretio redimere di-
» gnatus es. Hæc sciebam, Salvator
» meus, hæc credebam, & credo; at ni-
» hilominus contrarium operatus sum,
» lingua Christianus, moribus infidelis.

Eodem modo te accusabis de commis-
sis contra præcepta Ecclesiæ, statuta tuæ
Religionis, per singula discurrendo.

III. Sic facta accusatione gravita-
tem peccatorum tuorum ponderabis, ut
ea efficacius detesteris. Peccasti enim
contra Deum, qui est summum bonum,
quo spreto ad umbram boni conversus in

rebus caducis tuam posuisti felicitatem, quod est genus quoddam idololatriæ. A Domino, & Principe supremo infami rebellione, & perfidia defecisti: adversus sponsum animæ tuæ sacrilegum adulterium commisisti, innumeris, & maximis beneficiis ad ejus contemptum abusus es, quæ est perversitas, & impudentia inexplicabilis. Expende infinitas Dei perfectiones, & tuam abjectissimam vilitatem: omnia bona, quæ à Deo recepisti, & mala, quæ ei pro bonis reddidisti; & vide an possit ulla insania ulterius progredi, quàm ut is, qui ex se nihil est, eum, qui est ipsummet esse, audeat irritare. Hæccine reddidisti Domino stulte, & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, & creavit te? Considera deinde quid te ad peccandum impulerit: crescit enim injuriæ magnitudo, si levi de causa irrogatur. Ob quam igitur causam peccasti? Ob modicam, & fœdam carnis voluptatem, ob punctulum honoris, ob vile lucellum, ob res denique vilissimas, & instar fumi prætereuntes. Quare Deum factis negasti, diabolum ei præposuisti, idque tanta temeritate, facilitate, & auda-

cia, ac si Deus tuus, Deus ligneus esset, qui scelera tua, nec videre posset, nec vindicare.

IV. Ex his prorumpes in vehementem admirationem, qua ratione in statu tam misero vitam hilarem, & tranquillam ducere potueris. Quomodo creaturæ te hactenus sustinuerint, quarum conditorem offendisti: cur non omnes adversum te unanimiter conspirarint. Quo pactó Deus tam amanter, & patienter te potuerit tolerare, qui tot millena millia aliorum æternis cruciatibus addixit ob peccata, & gravitate, & numero tuis minora.

V. Post hæc elicies actum odii, & abominationis adversus te ipsum, qui solus auctor peccati es, & peccando majora tibi damna intulisti, quàm unquam inferre omnes dæmones, & homines universi potuissent, quamvis hostes fuissent capitalissimi, & crudelissimi. Quare te odio habere debes, atque hostilem in modum persequi, optando penitus abolere quidquid Deo contrarium est, invidendo pia quadam æmulatione eorum felicitati, qui nullo se unquam crimine obstrinxerunt, anteponendo rebus omni-

bus animam, quæ Deum non offendit, & vixit, ac vivit integræ conſcientiæ puritate.

VI. Sequitur contritio, cum firmo propoſito non peccandi amplius, & faciendi fructus dignos pœnitentiæ; Addes autem ſequentes affectus, ſi volueris.

« Aquæ multæ peccatorum meorum « non potuerunt extinguere charitatem « tuam, Deus meus, quam tot, tantiſque « beneficiis declarare dignatus es. Ideo « memoria memor ero tantæ tuæ charita- « tis, & tabeſcet in me anima mea præ « deſiderio tui, & liqueſcet, Sol juſtitiæ « ad radios amoris tui. Utinam ſicut fluit « cera à facie ignis, ſic pereant hodie « peccata, & imperfectiones meæ à fa- « cie tua Deus meus. Lavi pedes meos, « nunquid ultra inquinabo illos? Non « faciam, bone Jeſu, gratia tua, ſed di- « ligenter cavebo, ne quid in me diſpli- « ceat puriſſimis oculis tuis: ambulabo « coram te corde perfecto, & gratiſſi- « mum mihi erit quicquid ſanctiſſimæ « voluntati tuæ libitum erit: omnes pec- « candi occaſiones evitabo; & virtuti- « bus ſtudebo, quas antea per vitia con- « traria violavi, ut in quo te magis con- «

» tempsi, magis honorem. Id profi-
» teor hodie coram te, & universa Cu-
» ria tua cœlesti, testem illam invocans
» desiderii mei, & adjutricem infirmi-
» tatis meæ.

VII. Post hęc cum omni reverentia, & demissione animi, & corporis pete veniam delictorum à Deo. Obtestare illum per titulos omnes, qui cor illius ad præstandam tibi misericordiam emollire possunt; uti sunt ejus bonitas, amor, potentia, merita Filii sui, beneficia præstita, & in posterum præparata, & gloria, quæ illi in cœlo, terrisque decantabitur, si tibi indulgeat. Eamdem veniam postula à sanctissima Christi humanitate. Obsecra per puritatem suæ Conceptionis, per Nativitatis demissionem, per vitæ labores, per infamiam mortis, per desiderium, quo vult salutem animarum, per veniam Magdalenæ, aliisque peccatoribus concessam, per merita virtutum suarum, per quidquid pertulit pro te. Utere patrocinio Virginis Matris, Angeli custodis, & reliquorum Sanctorum, & tutelarium tuorum, pro ea qua pollent gratia apud Deum, & Verbum incarnatum.

VIII. Audi postea quid Deus, & Christus interius tibi loquantur. Audi exprobrationes, quibus tuam ingratitudinem, & perfidiam tibi objiciunt post tot beneficia quibus te præ cæteris affecerunt. Excipe cum omni humilitate commonitiones quibus te ad vitam meliorem excitant. Excipe velut ab ore summi Sacerdotis absolutionem, teque ad pœnam in hac vita subeundam paratum offer humi protestatus. Dic confusus, & dolore plenus. *Domine Pater vitæ meæ, nulla est in mundo condigna pœna demeritis meis; nulla, qua possim satisfacere malis, quæ impudenter commisi. Si hoc tibi gratum scirem, libenter me morti traderem in pœnam delictorum meorum: Sed quia me interficere nec possum, nec debeo, tu me miserrimum occide; aut mitte Angelum gladiatorem tuum, qui de me vindictam sumat. Arma creaturarum tuarum exercitum contra me, ut vindicent causam tuam. Irruant in me omnes ægritudines, dolores, adversitates, injuriæ, contemptus, calamitates: omnia lubenti animo sustinebo per gratiam tuam, dummodo in fine placatum mihi ostendas vultum tuum. Vultum*

tuum Domine requiro, quo civitas tua lætificatur: vultum tranquillum, & jucundum, quo Angeli beatificantur. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox gaudii, & consolationis, qua dicas servo tuo, Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace.

IX. Demum concludes hanc spiritualem confessionem actione gratiarum, quas Deo, & Christo reddes ob remissionem peccatorum, quam te obtinuisse confidis. Renovabis propositum illi serviendi, obtestaberis, ut rata esse jubeat decreta animi tui, eaque ipse, sine quo nihil potes facere, ad executionem feliciter deducat. Gratias item ages beatæ Virgini, Angelo custodi, & sanctis ob opem tibi præstitam, & auxilium eorum pro vita sanctè deinceps instituenda efflagitabis,

§. VII.

Paraphrasis anagogica Dominicæ Orationis.

P*Ater*. Tu es ille, qui filios spirituales progeneras, mediante vivificativo germine, & ideo verè tunc filius tuus ero, quando te vero amore constringam. Tu Pater omnia potes, qui omnia fecisti ex nihilo, da ut serviam tibi filiali amore, teque intimis visceribus amplectar, & tibi soli adhæream.

Noster, qui ratione tuæ latissimæ bonitatis omnes spiritus rationales per immissos à te radios ad te trahis, & non est qui se abscondat à calore tuo: quando te tam ardenter amabo, ut tua bonitas in me appareat! Nam si verè te amarem, tunc aliquid in me tuæ latissimæ diffusionis stillares.

Qui es in Cœlis. Sed in terris quoque es per essentiam, præsentiam, & potentiam. Verum alio modo in cœlis es, quàm in terra. In cœlis enim sunt Angeli & Beati, qui cœli cœlorum sunt, in quibus es adeo ineffabiliter, ut esse in re-

bus cæteris non videaris. Cœli etiam sunt ſancti viri, qui à terrenis rebus elevati, puri, ſimplices, illuminati in cœlis ſemper converſantur: in quibus es per gratiam, quę tanti eſt pretii, ut ſine ea quidquid in mundo eſt nihil ſit. Quando igitur anima mea nitida, & clara inſtar cœli efficietur, & diverſarum virtutum ſideribus adornata? Tunc enim in me habitabis, cum per flammam amoris ab omni fœce purgatus mundum tibi, & immaculatum cordis hoſpitium exhibebo.

Sanctificetur nomen tuum. Sine terra efficiatur in me nomen tuum, quod eſt mirabile. Niſi enim depulſa omni carnalitate te ſuper omnia diligam, terrenæ concretionis pondus ſpiritum terræ alligatum tenebit. Quando igitur ſanctificabitur notitia tua in me. Quando in me habitabis per gratiam, & amorem, ita ut terra nullum in me habeat locum. Quando depulſa omni mortalitate unus tecum ſpiritus efficiar per myſticam unionem.

Adveniat regnum tuum, ut non regnet peccatum in meo mortali corpore. Vult quidem regnare in me quandoque inanis gloria,

gloria , quandoque luxuria ; ſed ego nolo quemquam in me regnare , niſi te Domine Rex Regum, qui ſolus habes immortalitatem. Tunc autem in me regnabis , cum te ardenter amavero : qui enim te amat , tecum regnat ; & qui te poſſidet, omnia poſſidet in æternum. Valeant omnia regna mundi, & omnis gloria eorum. Melior eſt mihi dies una in atriis tuis , quàm mille anni in tabernaculis peccatorum. Exul ſum , & peregrinus ſuper terram , ad hoc natus ut futuram civitatem inquiram,in qua tu regnas : & hoc eſt regnum , quod opto ; nam ſi hoc quæſiero , & juſtitiam ejus ; tu me de cæteris feciſti ſecurum.

Fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in terra. Regnum enim tuum nemo poteſt poſſidere, niſi rectus fuerit. Rectus autem eſſe nequit,niſi qui tuam fecerit voluntatem : voluntatem verò tuam nemo facere poteſt, niſi ex dono tuo, quia nemo venit ad te,niſi tu traxeris eum. Propterea fiat à te voluntas tua , mihi ſcilicet donetur à te , ut per gratiam tuam faciam in terra voluntatem tuam , ſicut in cœlo fit à Beatis per gloriam tuam. Purifica cor meum ô ignis ardentiſſime,

ut expellam perfectè amorem proprium, & rejiciam propriam voluntatem, ut plenè fiat in me voluntas tua, & mea pereat. Pereat in me omnis proprietas, teque solum diligam ex toto corde, & glutino amoris tecum unitus tibi soli adhęream, & consentiam.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Non peto quod voluptati serviat, sed quod languenti animæ sufficiat. Non carnis consolationem quęro, sed affectionem supercœlestem. Panem volo Angelorum, augmentum videlicet amoris, quo solo afficitur, & satiatur anima mea. Quando fiet istud, optime Pater, ut te flammigeris affectionibus contingens panem amoris comedam in saturitate? Hunc panem da mihi semper, ut eodem cibo in præsenti nutriar, quo Angeli sancti in gloria saturantur: ut de micis comedam, quæ cadunt de mensa Domini mei. Inquietum est cor meum, donec pane isto divino aliquantulum confortetur, qui ideo quotidianus dicitur, quia quo plus comeditur desiderio quotidiano, reficit abundantius.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Mul-

tripliciter enim tibi debitor sum. Nam quis potest numerare peccata, quæ feci, quis tolerare quæ quotidie perpetro? Hæc sunt debita, quæ mihi opto dimitti. Solus autem amor uniendo me tibi te quondam mihi offensum placatum efficiet, & reddet gratiosum. Quando igitur ô bene creditor, te vero amore constringam, ut omni peccato dimisso, te mihi placatum sentiam notitia experimentali? Ne differas secundùm multitudinem bonitatis tuæ dimittere mihi, quia & ego verè dimitto debitoribus meis paratus eis benefacere ubi, & quando oportuerit.

Et ne nos inducas in tentationem. Perfice Pater quod cœpisti, & misericordia subsequatur me omnibus diebus vitæ meæ. Scio enim, quod qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Nemo autem perseverare potest sine te, quia totus mundus laqueis, & tentationibus plenus est; & nos in tenebris ambulamus, atque inimicos habemus, qui non dormiunt die, ac nocte. Hoc itaque peto amoris glutino inseparabiliter colligari, quia tunc securus ero, cum tibi totaliter adhærebo.

Sed libera nos à malo. Non à malis, quæ me pati oportet in hac vita, ut prober in camino tribulationis; hæc enim libenter ferre paratus sum tua gratia opitulante: Sed à malo pœnæ infernalis, quæ hominem separat à te: à malo quoq; Purgatorii, non effugiam tormenta, sed ne diù ibi detentus desiderio frauder videndi faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere. Verum si ego te ardenter diligerem, amoris flamma peccatorum rubiginem exureret, & sic in hora mortis meæ flammigeris affectionibus expurgatus ad te diù desideratum sine dilatione evolarem. Quando ergo hoc ardore te diligam, qui & pœnam excutiat, & à dilatione absolvat? Hoc ipse præstare digneris, qui vivis, & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

§. VIII.

Oratio ad ſanctiſſimam Trinitatem.

O Summa Trinitas, una virtus, indiſcreta Majeſtas, unus in ſubſtantia, Trinitas in perſonis, numerabiliter innumerabilis, menſurabiliter immenſurabilis, inviſibilis, ineffabilis, admirabilis, incomprehenſibilis, imperſcrutabilis: Deus magnus ſine quantitate, ſine qualitate bonus, ſine tempore ſempiternus, ſine ſitu ubique præſens, ſine loco ubique totus, omnia implens, ſine extenſione, ſine indigentia omnia creans, ſine motu omnia movens. In magnitudine infinitus, ſummus in bonitate, in virtute omnipotens; in ſapientia inęſtimabilis, terribilis in conſiliis, in verbis verax, in operibus ſanctus, juſtus in judiciis, copioſus in miſericordia, patientiſſimus erga delinquentes, piiſſimus erga pœnitentes: cui nec præterita tranſeunt, nec futura ſuccedunt: cui nec origo initium dedit, nec tempora dant incrementum: quem nec ſpatia dilatant,

nec voluntas variat, nec mœsta perturbant, nec læta demulcent. Deus sanctę sanctorum, Deus spirituum, & cunctæ carnis, à cujus conspectu tremit cœlum, & terra; cujus nutui obediunt elementa: vita vivificans me: lumen illuminans me. Aperi mihi clamanti portas justitiæ, & ingressus in eas confitebor tibi. Te adoro, te laudo, te glorifico labiis, & corde, omnique qua valeo virtute te benedico; & procumbens humiliter sub pedibus magnificentiæ tuæ gratias ago tibi, quia per illustrationem gratiæ tuæ illuminasti me, & per matris Ecclesiæ documenta in fide tua confirmasti me. Et unde hoc mihi factor cœli, & terræ, qui bonorum meorum non eges, unde mihi hoc quod amasti me? Quid tibi dedi, & retribuisti? Ubi eram antequam fierem, & ut inciperem bonum? Sed tua gratia factus sum, & innumerabilibus donis tuis ornatus sum, perfice ergo me, qui fecisti me; perfice usque ad formam plenam imaginis tuæ, & similitudinis, ad quam formasti me.

Te invoco, ô beata Trinitas, ut venias in me, & templum me facias dignum gloriæ tuæ. Rogo Patrem per Filium,

rogo Filium per Patrem, rogo Spiritum ſanctum per Patrem, & Filium, ut omnia vitia elongentur à me, & omnes ſanctæ virtutes plantentur in me. Deus immenſe, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia facta ſunt, cuſtodi me opus manuum tuarum in te ſperantem, & in tua ſolummodo miſericordia confidentem. Cuſtodi me quæſo hîc, & ubique, nunc & ſemper, intus, & foris, ita ut in me nullus pateat locus inſidiis inimicorum. Ad te beatiſſima Trinitas anima mea ſuſpirat, quoniam à te infeliciter exulat. Diſcedens à te quantis ſe intricavit erroribus, doloribus, timoribus? Cor meum conturbatum eſt, & inde dolor: dereliquit me virtus mea, & inde pavor: lumen oculorum meorum non eſt mecum, & inde error. Veruntamen in te ſperavi Domine, quoniam adhuc confitebor tibi, cum error videlicet à ratione, à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis receſſerit; & ſucceſſerit illa, quam ſpero, mira ſerenitas, plena ſuavitas, æterna ſecuritas.

Æterne Pater, ingenite, innaſcibilis, principium ſine principio, auctor bono-

rum, fons deïtatis, ac totius entitatis origo, Deitas tua me totum repleat, ejusque gloriæ participem faciat, quam Filius tuus mihi promeruit. Sanctifica me in veritate, & tui præsentia imple memoriam meam, ut cum timore & tremore semper stem in conspectu tuo, nec unquam mens mea à te avertatur. Fili vnigenite, non posterior, nec minor Patre, eique omnino coæqualis, & consubstantialis, Deus de Deo, lumen de lumine, candor lucis ęternæ, Verbum incarnatum, virtus omnipotens, sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti; imago Patris, splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, illumina intellectum meum, robora infirmitatem meam, ut te cognoscam, & diligam; & tanquam unicum pręsidium meum omnibus præferam. Sanctissime spiritus à Patre, & à Filio procedens, utriusque amor, & arctissimum vinculum, charitas essentialis, & totius charitatis principium, ignis consumens, flamma vitalis, donum superans omne donum, à quo omnia bona in nos descendunt, inflamma voluntatem meam ferventissimo tui amore, & constanti charitate, ut te solum quæ-

ram, & universa despiciam. Adstringe me tibi, & Patri, ac Filio; ut nec intellectu, nec affectu à vobis divellar. Sancta, & adoranda Trinitas, Deus meus, & omne bonum meum, abrenuntio propter te omnibus mundi pompis, & honoribus. Detestor omnem carnis, & sensuum voluptatem: Anathema divitiis, & vanitatibus seculi. Gloria mea hæc sit pro te contemni: mea voluptas tibi adhærere: meæ divitiæ tibi servire in secula seculorum. Amen.

§. IX.

Pia exercitatio erga Christum Crucifixum.

MOntibus Hannoniæ parvus libellus impressus est anno 1634. praxim quamdam continens spiritualis exercitationis erga Christum crucifixum, qua pius quidam Dei servus utebatur. Est autem hujusmodi.

1. Habebat hic in cubiculo suo Christi è Cruce pendentis affabrè factam imaginem opere anaglyptico, quam semel in mense nudis pedibus maxima humili-

tate adorabat, fidelitatis juramentum ei præstans; deque omni quod erat, quod poterat, quod habebat homagium illi faciebat, petens, ut sibi tamquam servo emptitio ejus pedes exosculari liceret. Singulis quoque sextis feriis ipsum cum universa familia adorabat, sicut solet Ecclesia feria sexta majoris hebdomadæ.

11. Cum aliqua tentatione vexabatur, ad ipsum confugiebat: & si foris fuisset, anima ejus ad pedes ipsius volabat, & in sacris ipsorum vulneribus se abscondebat. Cum verò è cubiculo egrediebatur, in una plagarum animam suam relinquebat; & si alicubi inutilia audiebat colloquia, in nidulo suo colligebat se mente Crucifixum adorans, & dulcia cum eo miscens colloquia. Quod si domi tentabatur, Crucifixum arripiens eo seipsum signabat, eumque amplectebatur, sicut infans terrore correptus ad Matrem, vel nutricem fugit. Deinde dicebat sibi, *In hoc signo vinces*: & ad diabolum; *Ecce Crucem Domini nostri Iesu Christi, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Iuda, radix David.*

III. Si aliquando tentationi ſuccumbens culpam aliquam admiſiſſet, concito greſſu ad Crucifixum properabat, ſeque accuſabat ante tribunal juſtitiæ ejus, & quaſi ex ore Domini ſententiam ſuæ damnationis proferri audiret, ſe humi proſternebat, atque illico pœnitentiam ſibi inſpiratam faciebat. Interdum etiam graviora ſua peccata ſcribebat, & ad pedes Salvatoris ferebat, ut pretioſo ſuo ſanguine ea deleret. Suo item cordi cor ſaucium Jeſu Chriſti aliquando applicabat, manibus manus, pedibus pedes, ut à fonte totius ſanctitatis remedium acciperet ſuarum neceſſitatum.

IV. In omnibus dubiis, ac difficultatibus ſuis conſilium ab eo petebat dicens, *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Quoties aliquid compoſuerat ad pedes ejus ferebat, *Tua eſt*, inquiens, *hæc doctrina, Domine, tu mihi eam dictaſti: corrige hæc ſcripta & omnis eorum laus tua ſit.* In deſolationibus ad eum recurrebat dicens, *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Confugiebat ad eumdem in ariditatibus, & dicebat, *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi, velociter exaudi me Domine.* Cum ægro-

tabat, ſubinde ad ipſum reſpiciebat æſtimans ſe felicem, quod aliquid pro illo pateretur. Scribebat ille epiſtolas plenas amore, omnemque ſtatum ſuum internum ei revelabat, & conſilium ab eo petebat; ſerto florum eum coronabat, accipiens ſibi ſpineam coronam: erant autem flores diverſæ de ſeipſo victoriæ, actuſque virtutum, quos illi offerebat ſerò poſt examen: ſpinæ verò erant mortificationes.

V. Vocatus ad aliquam converſationem ponebat Crucifixum ſuper os, oculos, & aures dicens, *Pone te Domine, ſicut ſeram ori meo; ſicut ſepem ſpinarum auribus meis, & aliis ſenſibus, ut nihil intret in cor meum, quod diſpliceat cordi tuo.* Quod ſi in illa converſatione aliquo modo deliquiſſet, pœnam imponebat ori ſuo, ne ſacra vulnera oſcularetur: oculis, ne in faciem ejus reſpicerent: linguæ, ne coram eo loqui præſumeret uſque ad certum tempus, donec crederet culpam eſſe expiatam. Semper eum præſentem habere conabatur, cupiens mori cum eo in Cruce. Omnes actiones ſuas actionibus ejus conformare ſatagebat, ipſumque jugiter precabatur ut inter

brachia ſua, & cor apertum reciperet ſpiritum ſuum. Hæc & alia obſequia erga Chriſtum crucifixum præfatus Dei ſervus præſtabat: Sed iſta dumtaxat è multis excerpſi, quæ ad exemplum, & imitationem ſufficere poſſunt. Amor autem, & ſpiritus Domini Jeſu ſe devotè exercitanti plura ſuggerent: ipſe enim ſpiritus adjuvat infirmitatem noſtram, ipſe poſtulat pro nobis, & facienti quod in ſe eſt, vires, ac robur ſubminiſtrat.

§. X.

Paraphraſis Angelicæ Salutationis.

AVe Mater Dei, Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, quæ Deum & hominem peperiſti. Ave Regina cœli, & terræ, quæ ſine væ peccati ſemper fuiſti, ab omni miſeria immunis, & verè in omnem æternitatem beatiſſima. Ave fons ſalutis, cujus privilegiorum multitudo innumerabilis, ſplendor æternus, gloria inexplicabilis eſt. Ave pax, & gaudium mundi, quæ cœlum terræ, nos Deo conciliaſti.

Maria, nomen dulcissimum super mel, & favum: nomen post Filii tui nomen super omne nomen, in quo post Filii nomen benedicuntur omnes nationes terræ: nomen in quo flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum. Maria illuminatrix omnium spirituum, ad cujus lucem mores effingimus: Domina nostra, cujus pio famulatu felicitatem adipiscimur sempiternam: Stella maris, cujus perpetuo afflatu, & fulgore illustramur, & ad portum salutis dirigimur: Mare gratiarum, & sanctitatis, è quo exeunt omnium virtutum exempla, omnia Sanctorum charismata, & beneficia.

Gratia plena. Ira enim, & maledictio in omnes filios Adæ: tu autem invenisti gratiam apud Deum. Singulis gratia data est per partes, in te tota se effudit gratiæ plenitudo. Tu gratia plena, quæ nulli unquam peccato aditum aperuisti: gratia inquam plena, quia omnia opera ex gratia fecisti, & in cunctis virtutibus excelluisti. Fuere quidem & alii sancti gratia pleni, sed tu valde differenter ab illis; quia ibi major abundantia liquoris, ubi major capacitas vasis.

Quanta autem capacitas tua fuit, quæ illum tuo gremio contulisti, quem cœli capere non possunt?

Dominus tecum. Tecum in corde, tecum in utero, tecum in auxilio. Tecum Filius, quem carne induis; tecum Spiritus sanctus, de quo concipis: tecum Pater, qui eum genuit ab æterno, quem tu paries in tempore, Dominus tecum, & in te; uti Rex in solio, sponsus in thalamo, amicus intimus in amico; imò multò intimiùs, & arctiùs. In me etiam Dominus est, quomodo enim subsisterem sine illo? Sed in te multo excellentiùs per majorem gratiam, per majorem bonorum communicationem, per assumptionem humanæ naturæ.

Benedicta tu in mulieribus. Verè benedicta, quæ à communi maledictione mulierum libera, nec sterilis fuisti, nec virginitatem amisisti, nec in tristitia peperisti. Portasti Deum, qui portat orbem; genuisti genitorem tuum, nutrivisti omnium viventium nutritorem; virum non nosti, & virum utero tuo circumdedisti. Verè benedicta, quæ fuisti excelsior cœlo, latior terra, ma-

jor universo, illum gerens in ventre, qui nullo clauditur termino. Verè benedicta, quia carne ex te assumpta Filius Dei humanum genus ab omni maledictione liberavit.

Et benedictus fructus ventris tui Iesus, quia sine corruptione conceptus, sine dolore natus, & ut peccati destructor in lucem editus. Meritò benedictus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, quem Pater caput Angelorum, & hominum constituit, & sine mensura omni gratia, & benedictione replevit. Tu arbor vitæ fuisti in Ecclesiæ Paradiso sita, ex qua tam dulcis, tam utilis, tam pretiosus extitit fructus, qui & te benedictam fecit, & nos eripuit à maledictione, & morte peccati, & omni benedictione cumulavit.

Sancta Maria Mater Dei, quæ sancta es, & sanctitatis prodigium; donorumque & gratiarum pelagus inexhaustum. Vera Mater Dei, quæ Deum hominem factum peperisti: pia mater nostra, quæ erga nos maternum geris affectum, & mater peccatorum vocari non erubescis.

Ora pro nobis peccatoribus. Non dicimus quid ores, quia tu ſcis quid expediat nobis. Tu ſancta es, & quid nobis niſi ſanctitatem poſtulabis? Tu gratia plena, quid petes niſi gratiarum abundantiam. Ora igitur pro nobis.

Nunc, & in hora mortis noſtræ. Duplex auxilium nobis eſt neceſſarium: alterum ut ſanctè vivamus, alterum ut ſanctè moriamur. Utrumque nobis impetra, ut in præſenti tempore ab omnibus malis animæ, & corporis liberati in ſanctitate progrediamur, & perſeveremus: & cum hora mortis noſtræ advenerit, ab omnibus inſidiis diaboli erepti ſancti, & immaculati hinc decedamus, & perpetuo Dei aſpectu in cœleſti patria perfruamur. Amen.

§. XI.

Quomodo colendus quilibet Sanctus, præſertim in ejus Feſtivitate.

CONSTAT hoc exercitium quintuplici actu, nimirum adoratione, gratiarum actione, petitione, congratulatione, & oblatione.

I. Ex amore Dei, & sancti illius, quem propter Deum amas, sanctissimam Trinitatem actu latriæ adorabis, tanquam principium omnium donorum naturæ, gratiæ, & gloriæ, quibus ille Sanctus fuit ornatus in hac vita, & nunc ornatur in cœlo. Ex simili quoque amore ipsum Sanctum adorabis actu duliæ tanquam ornatum illis donis in hac vita, & in cœlesti gloria. Eodem modo omnes ejus reliquias, ubicumque servantur, adorabis; concipiendo eas in variis partibus dispersas.

II. Gratias ages Sanctissimæ Trinitati pro omnibus donis illi concessis, & Christo in quantum est fons, ex cujus meritis illa dona fluxerunt. Deinde gratias ages ipsi sancto: Primò quia tam fideliter Domino suo servivit in hac vita, & bene usus est donis naturæ & gratiæ sibi concessis. Secundò quia nunc in gloria cœlesti tam perfectè famulatur Deo, ipsum laudando, & amando. Tertiò pro omnibus beneficiis per ejus merita, vel preces Ecclesiæ sanctæ, vel alicui particulari concessis: & præsertim pro exemplis optimæ vitæ ad imitandum relictis. Demum gratias ages

Angelo ejus Custodi, aliisque Sanctis, qui eum in hac vita juverunt, & quorum auxilio sanctam traduxit vitam, & ad gloriam Paradisi pervenit.

III. Rogabis sanctissimam Trinitatem per Christi, & ejus sancti merita, ut tibi, & aliis ipsius devotis det gratiam sancte vivendi, ut ille vixit; & ad gloriam perveniendi, ad quam ille pervenit. Eumdem quoque Sanctum deprecaberis, ut propter Dei amorem idem nobis efficaciter impetret: Rogabis, ut in Ecclesia sancta minuatur, quàm maximè fieri potest, numerus peccatorum existentium in peccato mortali, & justorum tepidè Deo servientium: ut extra illam minuatur numerus infidelium. Judæorum, Hæreticorum, & Schismaticorum: ut Principes Ecclesiastici cum toto Clero, & Religiosis gratum divinæ Majestati exhibeant famulatum, quilibet pro ratione sui gradus: ut Principes seculares cum omni statu seculari majorem habeant rationem divini honoris, & obedientiæ erga Ecclesiam, quàm ullius commodi temporalis; & inter se mutua concordia pacificè viventes bonis temporalibus ad animæ salutem, & pau-

perum ſubſidium utantur: ut qui ejus auxilia implorant, ſalutarem conſequantur effectum, & quantocius exaudiantur: ut defuncti, qui in hac vita eum devotè coluerunt, & alii qui nullis ſpecialibus ſuffragiis juvantur, è pœnis Purgatorii citò liberentur: ut te adjuvet in omnibus negotiis tuis, maximè in eo, quod tunc præ manibus habere contingit.

IV. Congratulaberis Sanctiſſimæ Trinitati, & Chriſti humanitati, quod, ille ſanctus tam fideliter in hac vita Deo ſervierit, & nunc ſit beatus in patria. Eidem quoque ſancto de hac ipſa re congratulaberis, & de omni honore, qui ei in hac vita exhibitus eſt, exhibetur, & uſque ad diem judicii exhibebitur. Angelo item ejus Cuſtodi, & aliis Sanctis, qui eum juverunt in hac vita, quod nunc gaudeant de tam felici fructu auxiliorum ſuorum ad laudem, & gloriam Dei.

V. Offeres ſanctiſſimæ Trinitati, & Chriſti humanitati omnia merita illius Sancti, & omnes ejus ſatisfactiones Chriſti meritis unitas, in honorem divinæ Majeſtatis, & Jeſu Chriſti

humanitatis : in gaudium accidentale Beatæ Virginis, Angeli Custodis, & aliorum Sanctorum, illorum præsertim, qui amici ejus fuerunt in hac vita, vel quoquo modo eum juverunt : ad impetrandam remissionem peccatorum tuorum, & totius mundi, & ad tollendam pœnæ temporalis obligationem, in quandam recompensationem pro omnibus beneficiis tibi, & toti mundo, præcipuè in eo templo per ejus sancti merita concessis ; ad ea obtinenda, quæ à Deo petis, & quibus maximè indiges ad consequendam vitam æternam. Ipsi autem Sancto offeres preces, quas fundunt ad eum omnes fideles pro suis necessitatibus, ut eas præsentet ante Tribunal Altissimi : Offeres desiderium eidem placendi, & ejus honorem propagandi.

§. XII.

Exercitium internæ conversationis cum Sanctis.

CUm solus stas, aut iter agis, pro solatio tuæ solitudinis socios tibi assumes cælestis curiæ cives. Et primò quidem ad B. Virginem accedes, & eam cum Archangelo Gabriele humiliter salutabis agesque cum ipsa de mysterio nostræ Redemptionis. Deinde quæres diligenter S. Joannem Baptistam Præcursorem Domini in eremo latentem, dicesque ei: Ave Sanctissime, & dilectissime amice Jesu Christi Joannes. Multa bona, & mirabilia audivi de te; quomodo sis natus mirabiliter, & in utero Matris sanctificatus: quam strictè, & religiosè in solitudine conversatus fueris, ne levi saltem cogitatione peccares. Tum petes ab eo quandiù, & cur in solitudine vixerit; quis ei ministraverit, & alia hujusmodi: audiesque intus ipsius responsum rei propositæ & respondentis sanctitati accommodatum. Postea ad Apostolos Christi pro-

cedes, & dulcia cum ſingulis inibis colloquia. Petes à Petro, quomodo fleverit peccatum ſuum, ibiſque cum eo in Templum ad orandum, & aſcendes in cænaculum, ut accipias cum eo Spiritum Sanctum. Ibis cum Paulo per omnia loca ad prædicandum, & quæres ab eo, Quomodo raptus fuerit in Paradiſum. Ab Andræa poſtulabis, quam ſuavis fuerit ei Crux: à Jacobo majori, qualiter biberit Calicem Paſſionis occiſus ab Herode. Joannem interrogabis de ſuo Evangelio, & divina Apocalypſi, ſtatuque totius Eccleſiæ militantis, & triumphantis. Eodem modo cum cæteris colloquia inibis, & diſcurres poſt modum per choros Martyrum, Confeſſorum, & Virginum; inſigniores ex eis ſalutando, & de virtutibus eorum ſermonem inſtituendo, cum affectu amoris, devotionis, & imitationis.

§. XIII.

Proteſtatio, & poſtulatio amantis animæ.

MAgnum eſt, Domine, deſiderium, quo ardeo te ſolum amandi, tibi ſoli ſerviendi: ſed infirmæ admodum, ac debiles ſunt vires meæ. Multi ſunt, qui me perſequuntur, infinitæ ſunt cogitationes, & ſine numero tentationes, quæ me affligunt: & niſi tu adjuves me, paulominus habitabit in inferno anima mea. Ideo cupio me tecum ligare vinculo indiſſolubili, quod in æternum diſſolvi non poſſit. Proteſtor igitur ego peccator miſerabilis, & ſervus tuus indigens gratia, & miſericordia tua, coram te Deus meus Pater, & Fili, & Spiritus Sancte, intendens hunc actum continuare in efficacia tui benedicti, & amantiſſimi cordis: Proteſtor inquam, quod nulli omnino cogitationi, verbo, vel actioni, quæ contra te vel ſanctiſſimam legem tuam, aut contra præcepta Eccleſiæ, & ſtatuta regulæ meæ ſint, aſſenſum præbere volo: atque hæc omnia

à me

à me ſemper elongare conabor exhibendo me purum, & immaculatum in conſpectu tuo. Audiant cæli, audiant Angeli, & cælites univerſi hanc meam voluntatem, & proteſtationem. Audiat me terra, & incolæ ejus, ſintque mihi univerſæ creaturæ teſtes vitæ emendatioris, quam deinceps inſtituere decerno. Attentus ſit infernus, & qui eum inhabitant maligni Spiritus, animæ infelices æternis ignibus addictæ, quia eorum ſuggeſtiones, & peccata abominor, & deteſtor, eorumque horribili exemplo tremo, & expaveſco. Sed quia ex me nihil ſum, & nihil poſſum, inſtantiſſimè à te poſtulo, Domine Deus meus, omne quod mihi neceſſarium eſt ad amandum te, & ſerviendum tibi fideliter. Dum verò hoc dico, intendo hac mea petitione includere, ac ſimul unire, & offerre tibi omnes orationes omnium Angelorum, & Sanctorum, Beatiſſimæ Virginis & Jeſu Chriſti Filii tui, omniumque electorum tuorum, quæ vel mente, vel voce factæ ſunt ab initio mundi, & fient uſque in finem: omnique momento hunc actum renovare intendo certam habens confidentiam, quia tu Domine exaudies me

per Jesum Christum Filium tuum, & per merita Sanctorum tuorum Amen.

§. XIV.

Exercitium spiritualis mendicitatis.

QUia pauperes in hoc exilio sumus, mendicandum est nobis in terra viventium, ubi locus est magnarum eleemosynarum, à Rege, à Regina, & ab omni familia. Dividenda cælestis patria in varios vicos, seu regiones, statuendæ in una Angelos, in altera Patriarchas, & sic de reliquis. Porrò Angelos considerabis tanquam nuncios, & secretarios: Patriarchas, & Prophetas tanquam consiliarios: Apostolos ut judices: Martyres tanquam milites: Confessores tanquam thesaurarios: Virgines tanquam sponsas, & dispensatrices. Praxis hujus exercitii his præceptis continetur. Primò excitabis mentis torporem, considerando quàm miser sis, & miserabilis, nudus, & cæcus: & expurgabis te à peccatis per compunctionem. Secundò ascendes Sanctorum habitacula per devotam contemplationem. Tertiò captabis benevolen-

tiam, eos reverenter ſalutando, magnificè commendando, & te profundè humiliando. Quartò expones miſeriam tuam, quia reus es, & infirmus, omni vitio plenus, omni virtute deſtitutus, paſſionibus ſubjectus. Quintò ſequetur pia, humilis, & inſtans oratio, in qua exprimes id quod petis tibi utile, & neceſſarium eſſe, & ab eis dumtaxat ſperandum: pietatem eorum nulli unquam negatam, ſed ſemper ſolitam omnibus miſereri: te gratum, & memorem ſemper futurum. Sextò tuam petitionem confirmabis variis probationibus, locis, & argumentis. Septimò obſecrabis eos, & obteſtaberis, per Dei miſericordiam, & cætera attributa; per Chriſti myſteria, & pietatem eis exhibitam, per eorum charitatem, & viſcera pietatis. Octavò gratias ages Sanctis, quod à te exorari voluerint, quod crebrius tibi ſuccurrere, & conſolationem immittere dignati ſint. Nonò offeres Deo hoc exercitium in unione operum Chriſti, petens ab eo, quæ à Sanctis poſtulaſti. Hujus exercitii praxim diffuſiſſimè tradit Gerſon tractatu de ſpirituali mendicitate, Tomo tertio.

§. XV.

Exercitatio patientiæ cum aliquid adversi occurrit.

CUm tibi aliqua evenerit adversitas, vel contrarietas sive in corpore, sive in anima, sive in fama, & existimatione, statim confugiens ad orationem, in qua remedium omnium malorum reperitur, p tes à Deo virtutem patientiæ. Postea respicies multitudinem peccatorum tuorum pravosque habitus, & inclinationem ad omnia mala, & sic orabis.

» Peccavi, benignissime Jesu, & multiplicatæ sunt iniquitates meæ super » numerum arenæ maris: à planta pedis » usque ad verticem capitis non est sanitas in me, & nisi gratia tua adjuvaret » me, crescerent quotidiè delicta mea usque ad cælum, adeo pronus ad malum » sum. Ideo millies me damnare cum Angelis rebellibus debuisses igne sempiterno cruciandum: hæc est enim merces, quam merui tot sceleribus, & » transgressionibus meis. Sed tu Domine » fecisti mecum misericordiam tuam, &

liberaſti me à perditione : & pro pœnis æternis , quas evaſi per gratiam tuam , hiſce minimis tribulationibus excerces me , ut purges à peccatis , & præpares ad gloriam. Iſtę ſunt roſę , & lilia , quas tu ſponſe animarum , ad ornandam animam meam mittis è cælo , ut placeat oculis tuis. Accepto hoc donum tuum libentiſſime, Domine Deus , & toto cordis affectu hanc tribulationem , ſeu perſecutionem amplector , quantumvis recalcitret perfidus ſenſus meus, & in contrarium renitatur. Non conſentio perverſis motibus partis ſenſitivæ, pravas ejus ſuggeſtiones rejicio. Accepto , & volo quod tu vis. Fiat voluntas tua.

Hæc poſtrema verba ſępius repetes : deinde obtutum figes in Jeſum crucifixum , & ſic eum amanter alloqueris.

Tu pro me pendes in cruce , Jeſu dulciſſime , ſpinis acutiſſimis coronatus , tu pro me ſpargis pretioſiſſimum Sanguinem tuum , & crudeliſſimam toleras mortem : ego autem non feram ob tui amorem hanc leviſſimam tribulationem ? Rex ęternę glorię , & Dominus univerſorum pro me viliſſimo ſervo a-

trocissimam patitur mortem, & ego omnium malorum reus propter ipsum nihil patiar? Solumne igitur relinquam sponsum meum, vitam meam in tormentis? Absit hoc à me, bone Jesu, tecum pati volo, tecum affligi, & mori. Venite omnes tribulationes, omnes injuriæ, & contumeliæ, omnes calumniæ, & derisiones; venite quotquot estis infirmitates, & adversitates: Deo juvante patienter feram, quicquid ille immiserit mihi, qui tanta pro me passus est. Moriatur sensus, juguletur caro, vivat crux, vivat crux Christi.

Mentem demum elevabis ad Deum, & dices succenso affectu. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Tu ab æterno prævidisti istam mihi eventuram adversitatem à tali persona, tali modo, & tempore, & cum talibus circumstantiis: & hanc præordinasti, & permittere decrevisti ad salutem animæ meæ. Gaudeo igitur & exulto, quod tua sanctissima voluntas adimpleatur in me. Omne meum velle, & nolle tuo justissimo beneplacito prorsus subjicio. Absit à me tanta perversitas, ut meam distortam voluntatem tuis æquissimis

decretis præferam. Volo quod tu vis, " Deus meus in tempore, & in æterni " tate. Accepto ex toto corde, & ani- " mo hoc donum tuum quantumvis as- " perum sensui cum resignatione, & gra- " tiarum actione. Fiat voluntas tua. His " autem peractis Deum enixè deprecaberis pro his, à quibus injuriam passus es, si adversitas illata sit ab hominibus, illisque benefacere, & eos alloqui studebis, si occasio tulerit, animo admodum pacifico, & tranquillo.

§. XVI.

Exercitium perfectæ Resignationis.

1. UT te perfectè expropries, & resignes in Deo, hoc exercitio uteris. Primò concipies animo, & propones invariabiliter manere in simplicissima unitate, & purissima simplicitate divinæ præsentiæ per totalem tui ipsius expropriationem, & remissionem, ac derelectionem in divino beneplacito, & voluntate. Quoties autem spiritum tuum extra hanc dulcissimam mansionem reperies, suaviter in eam reduces absque ullo

conatu intellectus, & voluntatis per ſolum amorem ſimplicis confidentiæ, & conformitatis: & hîc igitur commoraberis, in paterno ſinu divinæ bonitatis requieſcens. Ab hac verò quiete nuſquam diſcedes, nec ad ea reſpicies, quæ facis, aut facturus es, aut quæ tibi eventura ſunt: nec philoſophaberis ſuper afflictionibus, & contradictionibus tuis; ſed omnia ſine exceptione à benigniſſima Dei manu dulciter, & patienter accipies, in omnibus acquieſcens ejus ſemper adorandæ voluntati. Quod ſi aliquam oriri in te ſolicitudinem, aut deſiderium animadvertis, projice abs te, ac protinus omni cura denudatus ad Deum convertere, proteſtando te nihil velle, aut nolle, niſi ejus ſanctiſſimum beneplacitum.

11. In hac autem ſolitudine, & nuditate cum Chriſto crucifixo manens quaſi modo geniti infantis ſimplicitatem imitaberis, ut te Dominus amplectatur qui dicebat, ſinite parvulos ad me venire, & ad culmen amoris ſui perducat. Et ſi aliquando tua te conſolatione, ac præſentia privabit, læto animo eſto, id enim faciet magno tuo emolumento, ne ejus

præſentia

præſentia cor tuum afficiatur, ſed ſolo ipſius beneplacito. Beati nudi, quoniam induentur virtute ex alto. Feliciſſimi fuerant primi parentes noſtri, quandiu nudi fuerunt; & tu quoque felix eris, ſi verè illud Job dicere poteris, *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc*: & cum ſponſa, *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

III. Ipſo etiam deſiderio virtutum, & perfectionis exſpoliare te debes, nihil prorſus volens, aut quærens, niſi divinum beneplacitum; non reflectens te ſuper actus, & conſolationes tuas, nec aliquid cogitans, niſi Deum, quem, ſi nudus, & ſimplex fueris, in omnibus rebus reperies. Sicut enim pueri omni cura, & ſolicitudine carent, & parentibus adhærentes, ſine ullo reflexu ſuis conſolationibus fruuntur cum ſimplicitate, & expropriatione. nihil cogitantes de earum cauſis, & effectibus: Ita pari ratione veri Dei amatores ſoli dilecto adhærent, de nulla re ſoliciti, niſi ut illi placeant, & ipſum ament: purificant ſe, & ornant, non ut ſibi ſatisfaciant, non ut perfecti evadant, ſed ut cæleſti ſponſo placeant, & obediant. Hæc eſt

vera, & perfecta resignatio, & conformitas tuæ voluntatis cum divina, quam quotidie petere à Deo humiliter debes, orans ex corde, & dicens. *O sanctissima Dei voluntas semper adimplearis in me: O justissima Dei decreta adoro vos, & vestro beneplacito consecro, & resigno totaliter voluntatem meam affectus meos, & omnia desideria mea. Tuus sum ego, Deus meus, tua est voluntas mea, tuum est quicquid volo, & cupio. Vive, & regna semper in me, & vires meas conforta, ut adimpleam quod te donante proposui.* Hæc & similia verba sæpe iterabis dulciter, & tranquillè, non ore, sed spiritu ea pronuncians, itaut quodammodo ex apice, spiritus suavissimè effluant, & distillent: nam sic erunt efficaciora, quàm si per modum orationis jaculatoriæ cum quodam impetu, & conatu proferantur.

§. XVII.

De Corona B. Virginis.

INter alias preces, quæ pro Virginis honore fundi solent, valde solemnis

ea est, & á nemine vel perditissimo omissa, quæ per globulos, seu orbiculos precatorios filo insertos fit, & Corona, vel Rosarium nuncupatur. Rosarium centum quinquaginta salutationibus Angelicis constat, præmissa cuilibet decadi dominica oratione. Corona ex sexaginta tribus salutationibus Angelicis componitur, & septem orationibus dominicis. De Rosario infrà, nunc de Corona agendum; quæ quia Deiparæ velut Regiun diadema offertur, & tanquam sertum honoris ab ejus benignitate acceptatur, ideo Corona vocatur. Est autem hæc precatio ex sexaginta tribus Angelicis salutationibus compacta, juxta numerum annorum quibus B. Virgo in terris vixisse creditur, ut fert Doctorum probabilior sententia. In cujus recitatione sequenti forma uti poteris; teque paululum recolliges, priusquam incipias attendens quàm nobile, & omnino Angelicum officium sis obiturus, & ad quam intentionem. Præmisso signo Crucis dices. *Deus in adjutorium meum intende. Gloria Patri. Dignare me laudare te Virgo sacrata, Da mihi virtutem contra hostes tuos.* Tum in prima decade dum dicis *Pater noster*,

memor eris primæ effusionis Sanguinis Domini nostri Jesu Christi in circumcisione. Dum verò recitas decies *Ave Maria* considerabis primum statum vitæ B. Virginis, cum adhuc puella in domo paterna commorabatur. Postea dices hanc orationem. *Decies millies benedicant te, gloriosa Virgo, omnes Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Dominationes, Virtutes, Throni, Cherubim ac Seraphim, cum quibus speramus aliquando te videre in cælo. Amen*

In II. decade ad orationem dominicam secundam sanguinis effusionem in horto, & ad Angelicas salutationes vitam B. Virginis in templo meditaberis. Deinde sic orabis. *Vigesies millies benedicant te, gloriosa Virgo, omnes Sancti Patriarchæ & Prophetæ, beati Innocentes, & omnes Sancti veteris Testamenti, cum quibus speramus aliquando te videre in cælo. Amen.*

In III. decade considerabis effusionem Sanguinis in Flagellatione, vitamque Deiparæ usque ad annum Christi duodecimum. Tum dices. *Trigesies millies benedicant te, gloriosa Virgo, omnes Apostoli, & Discipuli Domini,*

Evangelistæ item & Martyres, cum quibus speramus aliquando te videre in cælo. Amen.

In IV. decade effusionem Sanguinis in Spinea coronatione & vitam Virginis usque ad annum trigesimum Christi. Subdes. *Quadragesies millies benedicant te, gloriosa Virgo, omnes sancti Confessores, Pontifices, Doctores, Monachi, & Eremitæ, cum quibus speramus aliquando te videre in cælo. Amen.*

In V. effusionem Sanguinis, cùm Judæi Christum suis vestibus expoliarunt, & vitam B. Virginis usque ad Domini Ascensionem. Addes. *Quinquagesies millies benedicant te, gloriosa Virgo, omnes sanctæ mulieres, Virgines, viduæ, & conjugatæ, cum quibus speramus aliquando te videre in cælo. Amen.*

In VI. effusionem Sanguinis in crucifixione, & residuum vitæ Virginis usque ad mortem. Mox dices. *Centies millies benedicant te, gloriosa Virgo, omnes Sancti & Sanctæ Dei, cum quibus speramus aliquando te videre in cælo. Amen.*

Sequitur septimum *Pater noster*, ad quod meditaberis ultimam Sanguinis effusionem in lateris aperitione. Tum di-

ces ter *Ave Maria*, commemorando mortem, Resurrectionem, & coronationem B. Virginis. In fine verò post symbolum Apostolorum dicitur Hymnus *Ave maris stella* cum versu *Ora pro nobis sancta Dei genitrix*, & Collecta. *Defende quæsumus Domine, B. Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum. Dulce nomen Domini nostri Iesu Christi, & Beatissimæ Matris ejus sit benedictum in secula seculorum. Amen.*

§. XVIII.

De Rosario B. Virginis.

HOc Rosarium adinstar psalterii Davidici ex centum quinquaginta salutationibus Angelicis tanquam ex totidem suaveolentibus rosis, componitur, & hinc Rosarii nomenclaturam accepit. Dividitur in tres partes, seu quinquagenas; suntque cujusque partis quinque mysteria, dum quinque decades percurruntur, consideranda. Primæ partis my-

steria dicuntur gaudiosa, & sunt ista. Annunciatio Incarnationis, atque ipsa Incarnatio Filii Dei: Visitatio Elizabet, & Johannis Baptistæ sanctificatio: Partus B. Virginis, & Nativitas Salvatoris: Oblatio pueri Jesu in templo, & Virginis Matris Purificatio; (sed huic Mysterio alii substituunt Magorum adorationem) Inventio pueri Jesu duodenis in templo. Secunda pars habet mysteria dolorosa, videlicet orationem Christi in horto, ejusque capturam: ejus flagellationem: Spineam coronam: crucis bajulationem: Crucifixionem. Tertiæ partis mysteria sunt gloriosa, nimirum Resurrectio Domini: Ascensio in cælos: Missio Spiritus Sancti ad Discipulos: B. Virginis in ęternas sedes Assumptio: ac tandem ipsi Angelorum, & hominum Reginæ, incorruptibilis ac regiæ coronæ impositio. Sic recitatur.

1. Concipe Dei præsentiam, & prævia brevi reflexione ad præcellentiam dignitatis B. Virginis, & ad tuam vilitatem, ac indigentiam, innova propositum ipsam Deiparam ferventiùs colendi. Tum elice actum contritionis, ac præteritam tepiditatem detestare.

II. Certam aliquam intentionem pręfige cum humili petitione gratiæ, idque paucissimis saltem suspiriis ad B. Virginem, & ad Filium ejus Salvatorem nostrum directis.

III. Præmisso signo crucis, dic Antiphonam. *Veni Sancte Spiritus*, cum versu *Emitte*, & collecta de Spiritu Sancto. Sequitur *Deus in adjutorium. Gloria Patri. Dignare me laudare te.* Postea dices hymnum de B. Virgine, in prima parte, *Quem terra, pontus, æthera*: in secunda, *Stabat Mater dolorosa*: in tertia, *O gloriosa Domina.* Facto autem hoc præludio orationem Domini. Eam semel recitabis, & decies Angelicam Salutationem. Ante *Pater Noster* breviter, & quasi in momento præconcipies Deum uti Patrem, & Dominum universorum ubique præsentem, qui te indignum audire dignatur; quare humiliter, & attentè eum rogabis, ac si magnum aliquem Principem alloquereris. Similiter priusquam incipias *Ave Maria*, B. Virginem considerabis aliquem de actibus propositi mysterij agentem, quæ tè item indignum libenter audit, & cum actuali reverentia, amore, & attentionè

recitabis *Ave Maria*, ac si alloquereris magnam aliquam Reginam. Initio item cujusque decadis mysterium in ea recolendum paulisper expende, & congruentes affectus elicere stude gratitudinis, amoris, contritionis, compunctionis, zeli imitandi Christum, & B. Virginem, desiderii Patriæ cælestis, congratulationis cum B. Virgine, & similium juxta Mysterii exigentiam.

IV. In decursu cujusque decadis ejus Mysterium piè cole, & absoluta decade renova affectus, & pete à Christo, atque ab ejus Matre remissionem peccatorum, & virtutes, quæ in eo mysterio magis elucent. Post ultimum verò *Ave Maria* cujusque decadis dic semel *Gloria Patri*. In fine autem Rosarii, sive integrum illud recites, sive tertiam ejus partem, Litanias B. Virginis recitabis cum Antiphona *Sub tuum præsidium*, & collecta *Defende* vel *Concede nos*: Proponesque Christo, & Matri necessitates, & miserias, quibus premeris, atque earum remedium petes, adferendo pro causa, & titulo gaudium, dolorem, vel gloriam, quibus in propositis mysteriis fuerunt affecti. Demum concludes

his versibus, *Laus Trinitati fulgidæ; Patri, Nato, Paraclito: Laus Virgini Deiparæ & nunc, & in perpetuum. Amen.*

v. Post recitationem discusso obiter successu dole, vel gratias age; & propone deinceps ferventius recitare. Tum piissimæ Matri obsequium tuum perficiendum, Filioque offerendum commenda juxta præfixas intentiones. Porro hîc notandum, quod quamvis mysteria Rosarii ad quindecim reducantur, quidam tamen totam vitam Christi, & Mariæ in centum quinquaginta articulos dividunt pro numero Salutationum Angelicarum, ex quibus Rosarium constat; propositos articulos singulis inserendo, modo suprà explicato: cujus exemplum apud Ludovicum Blosium reperies, itemque in Paradiso animæ Christianæ, & in exercitiis Joannis Justi Lanspergij.

§. XIX.

De Corona Domini.

HANC Coronam ad honorem Salvatoris nostri Jesu Christi, & triginta trium annorum, quibus in terris vixit, primus adinvenit B. Michael Florentinus Eremita Camaldulensis; quam Summi Pontifices Leo X. Gregorius XIII. & Sixtus V. approbarunt. Constat triginta tribus Dominicis orationibus, & quinque Angelicis Salutationibus: & sic eam recitabis.

Deus in adjutorium. Gloria Patri. Domine Iesu Christe, Filii Dei vivi, concede mihi, ut toto cordis affectu, pleno desiderio, & animo sitienti possim ad te aspirare, ac in te solo respirare, totoque spiritu, & visceribus meis ad te solum, qui es beatitudo mea, anhelare. Scribe, suavissime Iesu, Sanguine tuo pretioso vulnera tua in corde meo, & concede, ut eorum memoria semper in eo impressa maneat, & omnis creatura mihi vilescat. Hanc autem coronam in piissimum cor tuum benignè suscipe; eam enim tibi offe-

ro ad honorem, & gloriam tuam, in memoriam annorum tuorum, vitæque tuæ, & passionis acerbissimæ: ut meipsum excitem ad perfectum amorem tui; mihique & aliis, pro quibus orare debeo, bona gratiæ, & gloriæ obtineam, te præstante, Deus meus, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivis, & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

Post hanc orationem dices semel *Ave Maria*, & decies *Pater noster*: deinde secundò *Ave Maria*, & iterum decies *Pater noster*: postea tertiò *Ave Maria*, & decies quoq; *Pater noster*: Tum quartò *Ave Maria*, & ter *Pater noster*: demum quintò *Ave Maria*. In prima decade meditaberis Christi actiones ab ejus nativitate usque ad annum duodecimum: in secunda à duodecimo usque ad trigesimum: in tertia à trigesimo usque ad mortem. Dum postremò ter dices *Pater noster*, considerabis ejus descensum ad inferos, Resurrectionem, & Ascensionem. Cum verò dices primum *Ave Maria*, B. Virginis primum dolorem meditaberis, quando audivit à sancto Simeone, & tuam ipsius animam pertransibit gladius. In secunda cum

Filium amisit : in tertia cum audivit eumdem à Judæis captum : in quarta cum vidit cruci affixum : in quinta cùm eo caruit in triduo sepulturæ.

Oratio post Coronam. *Beignissime Domine Iesu Christe pietatem tuam supplici devotione deposco, ut applicare mihi digneris merita tua, & beatissimæ Matris tuæ in quorum unione offero tibi hanc coronam, quam modo recitavi. Hæc merita obtineant mihi remissionem peccatorum, sintque tibi in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, quibus me cumulare dignatus es, Pone, Domine, passionem, & mortem tuam inter judicium tuum & animam meam, nunc & in hora mortis meæ, & mihi largiri digneris gratiam tuam, & donum perseverantiæ, Ecclesiæ tuæ pacem, & concordiam, vivis veniam, & requiem defunctis. Qui vivis, & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.*

§. XX.

Affectus Animæ amantis Deum.

1. DOMINE Deus, qui lucem habitas inaccessibilem, principium omnium, & ultimus finis, qui me creasti ex nihilo, constituisti mihi terminos vitæ hujus mortalis, quos præterire non potero, ut amem te, & serviam tibi, donec ad aliam meliorem vitam assumas me, in qua tecum per omnem æternitatem beatus sim. Domine Deus meus, ecce pronus, & supplex adoro te, & subjicio me tibi usque ad imum nihili mei; secundum infinitam, & interminabilem distantiam tui à me: tu inquam, qui solus & omnia es, à me qui ex nihilo, & nihil sum coram te. Laudo, & benedico te fontem omnium bonorum, & quia vis amari à me, & cor meum avidissimè postulas, illud tibi totum cedo, & dono, ut jam meum non sit, sed tuum cor, nihilque mei, aut sui amoris habeat, sed tantùm tui: imò jam non ego amem te, sed tu ipse te ames corde meo, jam non meo, sed tuo. Ama te illo

ardentiſſimè, Creator meus, & omne bonum meum, ama te, quia dignus es: utere illo ad omne arbitrium tuum, poſtpoſito omni arbitrio meo, quod in tuum transfero, ac tuæ prorſus voluntati trado, permitto, & reſigno.

11. Sed cur tantopere cor meum deſideras Deus meus? quia nimirum pro nihilo habes ore, & lingua diligi, ſi cor tecum non ſit. Hoc eſt quod vis, & petis, nec quemquam admittis in partem poſſeſſionis ejus. Ideo præcipis mihi, ut convertar ad te in toto corde meo, ut toto corde te quæram, toto corde te diligam, te ſequar, & obediam tibi. Dignus enim es omni amore, quia omnis bonitas & perfectio, omniſque ratio amabilitatis in te eſt, & tu prior dilexiſti nos. Dilexiſti nos indignos amore, & digniſſimos odio, quia ſic fuit placitum ante te. Quaſi enim non haberes objectum in te, totum tuum amorem quantumvis infinitum adæquans, extendiſti extra te amorem tuum & dilexiſti me ab æterno propter immenſam bonitatem tuam. Atque utinam, Domine Deus, tantum tibi amorem rependere poſſem, quantum mihi impendiſti;

quàm libenter te amarem amore immenſo, infinito, inenarrabili! Sed miſer ſum, & pronus ad malum ab adoleſcentia mea; nec poſſum qualitercumque amare te, niſi tu dederis mihi, ut amem te. Da igitur quod jubes, & jube quod vis. Hoc eſt enim omne bonum meum deſurſum deſcendens à te, amare te propter te ſolum qui dilectione digniſſimus es: nec præter hoc bonum aliud bonum volo, aut cognoſco.

I.II. Utinam nulla hactenus fuiſſet, nulla deinceps ſit vitæ meæ actio, nulla corporis, & animi motio, nulla functio ſenſuum, & potentiarum, nulla virium exercitatio, quæ non fuerit, aut ſit ad maximam tui gloriam, amorem, cultum, & oblectationem, cooperante, & offerente Filio tuo, ſine quo nihil ſum, nihil poſſum. Hoc volo, hoc deſidero, hoc intendo; & incipiendo ab actione iſta, quam hoc momento ago, reliquas omnes, & ſingulas uſque ad ultimum habitum vitæ meæ, & per totam æternitatem tibi offero per Filium tuum: & ſi quam in particulari offerre omiſero, id quæſo ut tribuas oblivioni meæ, & incogitantiæ; & hoc præſens propoſitum

quam à malo præterito, in bono præ- "
ſenti, ad præmium futurum. "

IV. Actus hujus virtutis, per tres differentias temporis exercebis. In præſenti admirando, agnoſcendo, & fatendo tuam inſufficientiam, deſiderando actus perfectiſſimos elicere, offerendo Deo actus elicitos, & beatæ Virgini, & omnibus Sanctis. Quoad præteritum dolendo de tua ſocordia. Quoad futurum proponendo hujuſmodi actus omni poſſibili perfectione frequentare. Quia verò præcipui actus Humilitatis ſunt tres: Vilem ſe, & abjectum reputare: Velle talem ab aliis haberi, & tractari: Viliſſimum, & peſſimum omnium ſe exiſtimare: Praxis eos exercendi ſecundùm tempus præſens, præteritum, & futurum, hæc erit.

V. Heu quanta eſt abyſſus fragili- "
tatis, vilitatis, & nihili mei quoad eſſe, "
poſſe, & operari! quanta nihili moralis "
ob tot, & tanta peccata, quæ feci, fa- "
cio, & fortè facturus ſum; & quæ fe- "
ciſſem, facerem, & facturus eſſem, niſi "
à Deo Creatore, & Redemptore meo "
ſingulari gratia, ac providentia præ- "
ſervarer! Quàm meritò ergo me pro- "

» fundissimè humiliare deberem! Sera-
» phim ex intimo sensu humilitatis ve-
» lant alis faciem coram divina Majesta-
» te: quid ego vermiculus, pulvis, & ni-
» hilum facere deberem, qui bibo sicut
» aquam iniquitatem? Excedit hoc in-
» telligentiam meam, & parem affectum
» non invenio. Agnosco tamen, & pro-
» fiteor coram te, Deus meus, nihilum
» meum, prout possum. Nihil sum sine
» te: quidquid facio, quicquid possum,
» tuum est; solum nihilum malitiæ meæ
» meum est: Tibi ergo omnis laus, ho-
» nor, & gloria: mihi autem omnis con-
» fusio, & ignominia, quia peccavi, &
» adhuc graviùs peccassem, si gratia tua
» defuisset mihi. Ideo in abyssum nihili
» mei infra omnes etiam vilissimos, &
» pessimos, secundùm id, quod ex me
» sum, & possum, me demitto, & abji-
» cio. Si quid boni in me est, tuum est:
» Si quid in me non est, mera gratia tua
» est. Sic sentio de vilitate mea, & infini-
» ta Majestate tua: Sic in æternum sen-
» tire desidero, intellectu, & affectu,
» non meo dumtaxat, sed omnium ele-
» ctorum tuorum Angelorum, & homi-
» num, omniumque possibilium crea-

turarum. Imperfectum meum, Domine "Deus meus, viderunt oculi tui; sed in "ejus supplementum offero tibi om- "nium Sanctorum, maximè B. Virginis "humillimæ Matris tuæ intensissimos "sensus, affectus, actusque internos, "& externos, atque excessus intimæ "humilitatis, quos olim elicuere, & eli- "cient, unitos actibus, & affectibus, "quos tu in terris exercuisti. Suscipe, & "offer æterno Patri, & satisfac pro me "superbissimo peccatore. "

O cæcitatem, arrogantiam, & ma- "litiam meam! Quàm parum huc usque, "quàm obiter, quàm raro inspexi abys- "sum nihili mei: Quoties putavi me ali- "quid esse, cum nihil sim? Quoties dixi "in corde meo, dives sum, & locuple- "tatus, & nullius egeo, & nescivi, quia "miser ego sũ, & miserabilis, & pauper, "& cæcus, & nudus? Quàm raro actus "humilitatis exercui tot gratiis præven- "tus, tot exemplis provocatus, tot "oblatis occasionibus invitatus? Atque "utinam te numquam offendissem tot "actibus superbiæ Deus meus. Doleo de "his quantum possum, eosque detestor "affectu meo, & omnium Sanctorum "

» tuorum : & in compensationem tam
» tepidæ compunctionis meæ offero tibi
» contritionem, & lachrymas omnium
» verè pœnitentium, qui suæ, vel alie-
» næ superbiæ maculas perfectissimè ex-
» piarunt.

» Paratum cor meum Deus, paratum
» cor meum, ne desis tu mihi gratia tua,
» qua aspirante conabor deinceps ocu-
» los mentis meæ crebriùs defigere cum
» profunda admiratione in abyssum vili-
» tatis meæ, & sublimitatis tuę, quam
» fateor me numquam satis posse pene-
» trare, nec me satis posse humiliare, &
» despicere, nec ab aliis condignè hu-
» miliari, & contemni : Frequentando
» tales actus internos, & externos cum
» actuali reflexione : Suborta præsertim
» occasione, seu tentatione inanis glo-
» riæ, contemptus aliorum, confusio-
» nis, correptionis, admonitionis, &
» ignominiæ, recogitando me infini-
» to contemptu dignissimum. Istos au-
» tem exiguos conatus meos offero ti-
» bi, ęterne Pater, & offerre sem-
» per intemdo affectu omnium San-
» ctorum, in unione perfectissimorum
» exercitiorum humilitatis, Christi

Domini,

respicias, in quo semper persev erare, & quoties respiravero, id semper renovare cum perpetuo amoris in te mei augmento opto, & desidero. Utinam instar thuris, & thymiamatis totus consumar in purissimum, & acceptissimum divinæ Majestatis tuæ holocaustum, cum omni afflictione, & contemptu, & perfecta mei abdicatione in omnem voluntatem, & beneplacitum tuum, sine ulla proprii commodi admixtione. Amen.

§. XXI.

Actus & exercitia Humilitatis.

QUIA sine humilitate nemo potest placere Deo, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam, omni studio satagere debes, utacquiras hanc virtutem, ejusque actus frequenter exerceas. Pro hac re proderunt sequentes industriæ.

1. Cum animadvertis te aliquem defectum commisisse in sermone, refectione, oratione, aut alio quolibet exercitio; mentem ad Deum elevabis, & veniam petes, projiciens errorem tuum

in ardentiſſimam fornacem immenſæ charitatis ſuæ, ut in ea ſtatim conſumatur. Tum ex ipſo defectu ſcalam tibi conficies, qua aſcendens ad humilitatem, & fructus ejus decerpas, odium videlicet tui, timorem Dei, deſiderium patiendi, & perfectè Deo ſerviendi. Figes autem mentis obtutum primò in Deo, ejuſque infinita perfectione: deinde in te ipſo, & ſumma tua miſeria, ac perverſitate. Tum ratione inter Deum, & te poſita dices: Heu miſeram, & infelicem animam meam! Volebat Deus, cui infinitam obedientiam præſtare debes, ut hoc faceres, vel ab hac re abſtineres; perfidus autem ſenſus contrarium ſuadebat: & tu infidelis, ac ſcelerata, quamvis cognoſceres divinam circa hoc voluntatem; ſenſui tamen, ejuſque pravæ ſuggeſtioni complacere, & conſentire maluiſti, quàm ſponſo tuo cœleſti. Hocne igitur obſequium Domino tuo præſtas, viliſſima omnium creaturarum? Hanc mutuam vicem illi reddis pro tot gratiis, & beneficiis ab eo acceptis? Siccine fidem ſervas, qua te illi in baptiſmate obſtrinxiſti? Sic ſolvis promiſſiones, & decreta adimples toties ſtabilita faciendi

ſemper in omnibus, & per omnia divinam voluntatem? In hunc ſenſum plura adjunges invehens in te ipſum, & innovans propoſita, ſicque ex malo bonum elicies, atque poſt lapſum validior reſurges.

11. Cum ſuboriri in te ſentis gloriam ex rectè factis, aut ex donis Dei quæ in te ſunt; cogita te nec poſſe, nec ſcire quicquam ex teipſo, ſed Deum omnia in omnibus operari, te verò inſtar pueri eſſe, qui nec ſe attollere, tueri, ſtare, aut nutrire poteſt, nec ab alio hoc poſtulare. Conſidera deinde multitudinem peccatorum tuorum, ob quæ æterna ſupplicia promeritus es: conſidera in quanta adhuc cadere poſſis, & quod certus non ſis, an ullum unquam opus feceris Deo gratum: actiones tuas percurre, & nullam deprehendes, in qua te arguere non poſſis; & hinc diſce parvus eſſe in oculis tuis. Alphabetum etiam tibi conſcribe imperfectionum tuarum, in quas frequentius labi ſoles, & illud perlege, cum vanitatum aura blanditur. Denique virtutum perfectiſſimos gradus, & eximiam civium ſupernorum ſanctitatem attende, quàm lon-

gè ab eis diſtes : Sic enim fiet, ut nihil in te invenias unde efferri queas ; ſed multa potius, ob quæ confundi, & erubeſcere debeas, & noviſſimum locum tenere.

III. Stude te ipſum cognoſcere, & ſic ad Deum aſpira.

» Quid fui Domine? quid ſum? & quid
» ero? Fui nihil, nihil ſum, & ero fortè
» nihilo pejus. Fui conceptus in origi-
» nali pecato, ſum plenus peccato actua-
» li, & quis ſcit, an ero condemnatus
» pœna gehennali? Fui miſerabilis in in-
» greſſu, ſum miſerabilior in progreſſu,
» miſerrimus ero in egreſſu. Cum nihil
» eſſem, fui ſine periculo damnationis,
» & ſine ſpe ſalutis: & jam ſum in ſpe
» dubia, & gravi periculo: ero aut ex
» re ſperata felix, aut ex periculi ſuc-
» ceſſu infeliciſſimus. Sic fui, ut damnari
» non poſſem: Sic ſum ut ſalvari vix
» poſſim: ſic ero ut in æternum damna-
» tus, aut in æternum ſalvus. Quid fue-
» rim ſcio, quia fui peſſimus: quid ſim
» neſcio, quia de gratia incertus: quid
» ero ignoro, quia de ſalute dubius.
» Quod fui, Domine, ignoſce; quod
» ſum corrige; quod ero dirige: dirige in-

Domini, B. Virginis, omniumque ele- „
ctorum tuorum. Tu qui humilia respi- „
cis in cœlo, & in terra, respice in fa- „
ciem Filii tui dilectissimi humiliantis „
se usque ad mortem Crucis, humillimæ „
Matris ejus, & tot Sanctorum per hu- „
militatem tibi placentium, & da gra- „
tiam eos imitandi ad maximam tuam, „
æternamque gloriam. Amen. „

§. XXII.

Exercitium somni spiritualis.

VEnerabilis Antistes, & vir Apostolici spiritus Franciscus de Sales Episcopus Genevensis, cum adhuc juvenis esset, exercitium quoddam somni, sive quietis spiritualis sibi præscripsit, quod præcipuarum virtutum actus complectitur, & est ejusmodi. Electo huic sacræ quieti & mystico somno, opportuno tempore, tibi primò in memoriam revocabis pios motus, desideria, sensus devotionis, animi decreta, inspirationes, & lumina, quæ tibi unquam à Deo immissa sunt: morbos item, infirmitates, & adversitates, ex quibus profecisti;

& bona proposita, quotquot olim fecisti, renovabis. 2. Quiesces in consideratione vanitatis, honorum, dignitatum, & voluptatum hujus mundi, easque rejicies, & abominaberis. 3. Quiesces in consideratione turpitudinis, & miseriæ peccati, malorum, quæ secum affert, pœnarum quibus hominem reddit obnoxium, bonorum, quibus animam privat, illudque propter hæc detestaberis, & maximè quia displicet Deo. 4. Dormitabis suaviter in cogitatione excellentiæ virtutis, quæ adeo pulchra, & nobilis est, ut hominem mutet in Angelum, & Deo similem faciat: eamquam seriò amplecti propones, eligendo media ad ejus assecutionem proportionata. 5. Ponderabis rigorem divinæ justitiæ, & terribilitatem abyssi judiciorum Dei, teque ad virtutem excitabis ex attenta mortis, & sequentis judicii consideratione, sic tecum disserendo. En morior, quid proderunt mihi divitiæ, quid carnis illecebræ, quid culmen dignitatis? Transierunt omnia sicut umbra, & jam mihi reddenda est de omnibus exactissima ratio. 6. Infinitam Dei sapientiam, & bonitatem admiraberis, qui tot tibi media,

& instrumenta ad salutem providit per Filii sui Incarnationem, Sacramentorum institutionem, B. Virginis & Sanctorum exempla, & alia multa ejusdem generis. Septimò tandem in amore solius Dei elicitis ferventissimis ejus actibus requiesces.

§. XXIII.

Exercitium in ariditate.

CUM tempore ad orationem destinato ita aridus es, ut meditari, & orare non possis, aliquod ex sequentibus exercitiis assumes, in quo immoraberis, donec consueta meditationis hora elabatur. Primò percurre breviter præcepta Dei, & Ecclesiæ, & discute quomodo singula observaveris; tum veniam petе, & propone emendationem. Eodem modo discurres per septem vitia capitalia, sensus corporis, potentias animæ, & tui status, seu officii particulares obligationes. Secundò, recita aliquam orationem vocalem attentè, immorando in singulis verbis, donec aliquis pius affectus tibi occurrat. Tertiò, vitam Christi

in certa ſpatia, & loca divide, & ea mente percurre, addito in ſingulis erga propoſitum myſterium aliquo pio affectu. Loca autem poterunt eſſe Nazareth, ubi conceptus, Bethleem, ubi natus, Ægyptus, iterum Nazareth, deſertum, Galilæa, & Judea ubi prædicavit, Cœnaculum, hortus, & cætera paſſionis loca, Sepulchrum, Limbus, iterum terra, & cœlum. Quartò, Spiritualis meditationis exercitium perage ſupra deſcriptum §. 14. Quintò, mente peregrinare ad S. Sepulchrum Domini, ad limina Apoſtolorum, ad S. Jacobum Compoſtellæ, ad B. Virginem Lauretanam; & in iis locis pete à Deo, & ſanctis neceſſaria tibi ad ſalutem. Sextò, ſaluta Chriſti plagas modo præſcripto §. ſequenti. Septimò, viſita carceres, Xenodochia, agonizantes, in aliquo periculo conſtitutos, & pro ſingulis ora. Octavò, exercitium ſomni ſpiritualis perage, de quo ſupra §. 22. Nonò, deſcende in centrum terræ, percurre ſinus ejus, infernum, Limbum, Purgatorium; vide quid ibi agatur, timorem concipe, & horrorem de peccatis, & ſtatue ab eis abſtinere,

§. XXIV.

Oratio ad quinque vulnera Christi.

I. SALVE vulnus benedictum dexteræ manus Domini mei Jesu Christi Crucifici, pro me, & omnium hominum salute roseo stillans cruore. Protege me, Domine, dextera tua, ne quando dicat inimicus meus; prævalui adversus eũ, quem tu sanguine tuo redemisti. Deducat me mirabiliter dextera tua, ut omnes cogitationes meas, & sermones mei semper rectà tendant, & dirigantur ad te, ut pote scopum, & finem meum. Da mihi gestare semper ardentem lampadem, oleo charitatis instructam, ut dignus habear, qui tecum ad cœlestes nuptias intromittar; ut cum seculum judicaturus adveneris, ad dexteram tuam constitutus audire merear cum electis tuis: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum vobis paratum à constitutione mundi. Amen.

II. Salve beatificum vulnus sinistræ manus Salvatoris mei Jesu Christi pretiosissimo ejus sanguine purpuratum. Manu tua forti, & brachio excelso ad

nihilum redige, Domine, quidquid ſiniſtrum, & perverſum moliuntur adverſum me, qui cogitant mihi mala. Comprime vires hoſtium, qui quærunt animam meam. Tuere me, & adeſto mihi in omnibus adverſitatibus, & tribulationibus meis. Dic animæ meæ, Salus tua ego ſum; ut de manu inimicorum meorum liberatus, in ſanctitate, & juſtitia ſerviam tibi omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

III. Salve gratioſum vulnus dextri pedis Domini mei Jeſu Chriſti, ſanguine Agni immaculati conſperſum. Perfice, Domine, pedes meos tanquam cervorum, ut indefeſſo curſu per viam mandatorum tuorum incedam, eaque ſemper exquiram, quæ placita ſunt tuæ divinæ voluntati. Dirige greſſus meos in virtutem, donec videam Deum Deorum in Sion. Lucerna pedibus meis ſit verbum tuum, & lumen ſemitis meis, ut etiam proximis lucis exempla præbeam, quatenus tu Deus meus in omnibus, & ante omnia glorificeris nunc, & in æternum. Amen.

IV. Salve venerabile vulnus ſiniſtri pedis Chriſti ſanguine madefactum.

Evelle, Domine, pedes meos à laqueo,
quem ſtatuerũt mihi inimici mei. Cuſtodi
animam meam à lapſu, ne fiam hoſtibus
meis in prædam. Non veniat mihi pes
ſuperbię, ſed in ſimplicitate cordis mei
incedam coram te omni tempore. Edoce
me vias tuas, ut ſciam quid acceptũm
ſit coram te, & opere compleam uni-
verſa, quæ præcipiſti mihi. Amen.

V. Salve vulnus ſaluberrimum cor-
dis Jeſu Chriſti crudeli cuſpide infli-
ctum, è quo ſanguis, & aqua copioſè
emanarunt in ablutionem peccatorum
noſtrorum. Vulnera cor meum, Domi-
ne, amoris tui jaculo, ut te in omni-
bus, & ſuper omnia colat, teque &
proximum propter te ferventi ſemper
amore proſequatur. Munda me puriſ-
ſimo ſanguine, & aqua ſalutari, ut ab
omni labe emundatus te Deum Salvato-
rem meum, quem ſoli mundo corde vi-
debunt, in omni æternitate merear con-
templari. Amen.

§. XXV.

De Communione spirituali.

SAncti Patres usum hujus communionis commendarunt, ut cum quis percipere Corpus Christi sacramentaliter non potest, saltem illud spiritualiter percipiat; voto nimirum ac desiderio, & fide viva, quæ per dilectionē operatur, de qua dicit Augustinus: *Crede, & manducasti.* Hæc autem communio fieri potest, & cum quis Missæ interest, & extra Missam, atque Ecclesiam; potestque repeti multoties in die. Cum Missam audis, sic procedes. Post orationem Dominicam convertes animum tuum hac intentione ad Dominum, tuamque fragilitatem, & defectus, Deique præsentis majestatem meditaberis. Deinde Agnus Dei ter repetes cum Sacerdote, dolorem de peccatis tuis corde contrito excitabis; & pacem cum Deo, cum proximo, & cum teipso postulabis. Similiter iterans cum celebrante, Domine non sum dignus, affectu quàm potes humilitatis intensissimo, te tanta dignatione

amabilissimi Salvatoris ad te venire paratì indignissimum reputabis, ob peccatorum tuorum multitudinem, & gravitatem: ob ingratitudinis tuæ pro tot beneficiis enormitatem: ob corporis, & animæ fœditatem, & abyssalem tui nihili vilitatem. Tum Jesu Christi infinita pietate fretus, eum invitabis ad mundandum, ornandum, & in æternum possidendum cor tuum ardentissimis suspiriis. Mox affectus fidei, amoris, & aliarum virtutum exercebis, ac si sacramentaliter communicasses, & pro spirituali refectione gratias ages. Si verò extra tempus, & locum sacrificii spiritualiter communicare desideras, priorem communionem Sacramentalem in memoriam revocabis, & animo te conjunges Sacerdotibus offerentibus, ac ferventi desiderio dices? *Domine Deus meus, quando te denuò in anima mea suscipiam? Veni Deus meus & jam nunc in me spiritualiter, & refice me. Cupio esse particeps omnium sacrificiorum, quæ ubique in Ecclesia Catholica tibi offeruntur. Veni dilecte mi, in animam meam, purga eam stillicidio tui pretiosi sanguinis, riga fluentis gratiæ, fœcunda rore*

misericordiæ, ut fructus proferat dulces gutturi tuo. Veni spes mea, possíde regnum cordis mei, conforma illud cordi tuo, ut idem tecum velit, & nelit nunc, & in æternum. Quidquid denique præscribitur pro communione Sacramentali, ad spiritualem transferri, eique optimè convenire potest.

§. XXVI.

Pia exercitatio pro his, qui Missæ intersunt.

CUM Sacrificium Missæ sit viva, & vera vitæ, passionis, & mortis Christi repræsentatio, quotidie illi interesse oportet; & si datur occasio eidem ministrandi, nullo modo negligenda est, nam cæteris paribus majus est ministrantis meritum, quàm simpliciter assistentis. D. Thomas jam Sacerdos, & Doctor post quotidianam celebrationem aliud sacrum audiebat, cui etiam ut plurimùm ministrabat. Qui Missam cum potest non audit, is Deo ingratus, suæ salutis immemor, & ad officia pietatis nimium languidus esse con-

vincitur: in ea enim meritorum Christi inæstimabilis thesaurus cuivis Christiano proponitur, & sacrosancta redemptionis nostræ mysteria renovantur. Si virtutes, & merita omnium Sanctorum, si omnium Martyrum tormenta, si cuncta obsequia Deo præstita præterita, præsentia, & futura simul jungantur, non tam perfectam laudem, & honorem Dei complectentur, quàm unica continet Missa à quocumque Sacerdote celebrata. Atque hinc colligere potes quàm turpe sit, & deplorandum tanti sacrificii dignitatem, & utilitatem aut non æstimare, ut par est, aut ignorare. Et revera hoc tremendum Mysterium ignorare, aut spernere videntur illi, qui corpore præsentes in templo, mente & oculis vagantur, fabulas, & nugas miscent, eique adstant tanquã comediæ spectatores. Hi sunt, qui in loco misericordię divinam contra se justitiam provocant: & nova committunt peccata, ubi vetera expiare debebant. Sed his omissis modus piè audiendi sacrum tradendus est.

Et primò quidem eundo ad Ecclesiam magnum in te excita pietatis sensum cum spirituali quadam alacritate, quæ oriatur

ex consideratione præstantissimi operis ad quod accedis. Opus enim est divinum, Deo gratissimum, & maximè utile ad propitiationem pro peccatis, ad exercendos actus præcipuarum virtutum, ad obtinendā mentis puritatem, & unionem cum Deo, ad exhibendum sanctissimæ Trinitati cultum, honorem, gratiarum actionem modo excellentissimo, ad impetrandum tibi, & proximo quicquid ad vitam temporalem, & ęternā necessariū est.

II. In ingressu Ecclesiæ aqua benedicta te asperge elicito actu fidei, & contritionis. Tum locum elige, quantū fieri poterit, remotū à turba, & ab occasione distractionum. Deum pręsentem in propria domo Majestatis suæ adora, qua majori potes reverētia. Aperi mentis oculos, & vide Angelorum multitudinem circumvolantem, & Sacerdoti assistentem cum ingēti tremore, & honore. Hos imitare, flexisq; genibus, internos externosq; sensus ita compone, ut quidquid est in Ecclesia, fiat tibi invisibile, nec aliquam sensibus impressionē faciat. Æternus Sol justitiæ, qui ibi adest, mentem tuam absorbeat, & sensus perstringat tanto claritatis excessu, ut nihil aliud videre, cogitare aut percipere possis.

III. Sic compositus Sacerdotem expecta, & dum ille se preparat, dum sacris se vestibus induit, excita in te fervorem devotionis, contritionem, & amorem, pete gratiam à Deo, & ora hac vel simili formula.

Oratio.

CLementissime Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui sic mundum dilexisti, ut Filio tuo unigenito non parceres; sed eum pro nostra reparatione acerbissimæ passioni, & morti traderes, cujus gratissimam oblationem quotidie in Ecclesia renovari voluisti, ut illius in nobis fructum innovares: da mihi obsecro huic tam admirando, & salutari divinæ tuæ potentiæ, sapientiæ, ac bonitatis mysterio sic interesse, ut cruenti illius sacrificii participationem per hujus incruenti oblationem quàm efficacissimè consequi valeam. O quot suspiriis, quàm ardentibus votis ipse coæternus tibi Filius desideratus à cunctis gentibus fuit! donec tandem missus à te formam servi accepit, & nostra mortali-

» tate indutus Majestatem Deitatis, car-
» nis velamine obtexit: tibique obediens
» factus usque ad turpissimam mortem
» crucis, nos morte sua ab æterna morte
» redemit. Hoc opus tam immensæ cha-
» ritatis in hoc Missæ sacrificio recolitur,
» cui utinam assistere possem ea devotio-
» ne, attentione, & reverentia, quam
» exigit divinæ Majestatis præsentia, tot
» Angelorum assistentium frequentia, tot
» mysteriorum quæ hîc geruntur, ma-
» gnificentia. Tu queso, Domine, possi-
» de, ac rege cor meum gratia tua, ut
» hoc meum obsequium tibi placeat, &
» prosit animæ meæ. Doleo ex intimo
» corde meo, quod unquam offenderim
» te, qui tantopere dilexisti me. Credo
» in te viva fide, ô æterna veritas: spero
» in te firmiter, ô vera salus animæ meæ:
» Amo te ex toto corde, ô summum bo-
» num meum. Absorbeat me ardentissi-
» ma vis amoris tui, ut nihil unquam se-
» paret me á charitate Christi Salvatoris
» mei, qui ex summo amore carnem suam,
» & sanguinem mihi dedit; & sub spe-
» ciebus panis, & vini, ut perpetuò no-
» biscum esset, mirabiliter esse voluit:
» cum quo, & Spiritu Sancto vivis, &

regnas Deus per omnia ſecula ſeculo- "
rum. Amen. "

IV Junge, & conforma intentionem tuam cum intentione Sacerdotis hoc modo.

Suſcipe Sancta Trinitas unus Deus "
hoc Sacro-ſanctum Sacrificium Cor- "
poris, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu "
Chriſti, quod ego indigniſſimus ſervus "
tuus divinæ Majeſtati tuæ per hujus Sa- "
cerdotis manus offero, unà cum omni- "
bus ſacrificiis tibi unquam oblatis, & "
offerendis, unitum ſanctiſſimo Sacri- "
ficio ab eodem Domino noſtro in ulti- "
ma Cæna, & in ara crucis oblato, om- "
ni poſſibili pietatis affectu, ex puro a- "
more tuæ infinitæ bonitatis, juxta in- "
tentionem ejuſdem Salvatoris noſtri, "
& ſanctæ Matris Eccleſiæ; ad maxi- "
mam, æternamque gloriam tuæ divi- "
næ Majeſtatis: in proteſtationem ſu- "
premæ excellentiæ, & Dominii tui, & "
noſtræ ſubjectionis, ac dependentiæ à "
te: in perpetuam commemorationem "
paſſionis, ac mortis ejuſdem Domini "
noſtri: in honorem, augmentumque "
gloriæ B. Virginis, ac totius curiæ "
triumphantis: in gratiarum actionem "

„pro universis beneficiis Sanctissimæ
„ Humanitati Domini nostri, B. Virgini
„ Matri ejus, omnibus Sanctis, & ele-
„ ctis, cunctisque creaturis & mihi in-
„ grato, atque indigno hucusque colla-
„ tis, & conferendis in æternnm: in sa-
„ tisfactionem peccatorum meorum,
„ omniumque fidelium vivorum, & de-
„ functorum; ad impetrandum mihi, &
„ omnibus omnia subsidia vitæ tempora-
„ lis, & æternæ. Singulariter offero pro
„ hac gratia obtinenda, & pro his mihi
„ specialiter commendatis, omnibusque
„ pro quibus orare soleo, & teneor, ut
„ omnes te agnoscant, ament, & glorifi-
„ cent in æternum. Amen.

v. Cum Sacerdos descendit, ut recitet confessionem, percurre breviter peccata tua, contritionem excita, & innova propositum emendandi. Et cum ascendit ad Altare, illud osculaturus, adora omnes cælites, eosque tibi, ac tuis, & toti mundo auxiliatores advoca. Ad introitum devotè attende, eosque in te accende affectus, quos verba requirunt, Ad *Kyrie eleison* quemlibet ternarium ad singulas personas sanctissimæ Trinitatis dirige cum intenso dolore de peccatis, *Glo-*

omnibus beneplacito se conforment. Oculos quoque tuę pietatis converte ad infelices animas peccatorum nexu constrictas, obstinatas, impœnitentes, & in densis perfidiæ, ignorantiæ atque infidelitatis tenebris pereuntes: Libera eas de ore Leonis, revoca ad gremium Ecclesiæ tuæ, & ad osculum pacis admitte, ut agnoscant, & diligant te, & quem misisti Jesum Christum. Miserere denique omnium fidelium defunctorum, & rore clementiæ tuæ ardores eorum tempera, eisque locum refrigerii, & pacis indulge, ut à pœnis erepti te pro me ardentissimè ament, & laudent in cælis, cui ego tam imperfectè servio in terris. Horum omnium miserere, & mei in primis ingrati peccatoris gratiam concedens, ut à peccatis emundatus ad altissimum gradum perfectionis ascendam, & nunquam amplius separer à te in secula seculorum. Amen.

IX. Ad elevationem adora intentissimo affectu Sanctissimum Sacramentum & dic: *Adoro te, Christe Iesu, qui exaltatus es à terra, ut omnia trahas ad te ipsum. Trahe me post te funiculis charita-*

tis tua. Tuus sum, & ero in æternum: possside me, & totum conforma voluntati tuæ. Tu Rex gloriæ Christe; & quæ sequuntur usque ad finem Cantici Te Deum laudamus.

x. Post elevationem offer Deo in unione Sanctissimi Sacramenti exigua tua dona cum intenso devotionis affectu, nimirum firmum propositum, nunquam peccandi mortaliter, sed nec venialiter quidem animo deliberato: observandi exactissimè vota tua, & statuta tuæ Religionis: sufferendi quicquid acciderit adversi: promovendi te, & alios semper in via perfectionis quantum licebit. Post hæc ora pro illis, à quibus aliquid passus es: Isti enim sunt veri benefactores tui, qui materiam tibi meritorum maximam præbent. Orationem Dominicam recita cum Sacerdote, & deinde percurre cum multo affectu pulcherrimam illam orationem: *Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam &c.* & si opus fuerit, sæpius repete.

xi. Agnus Dei ter cum celebrante percurre, & præpara te ad communionem spiritualem, quæ nunquam omittenda est, quando sacramentaliter non

communicas. De ea actum est, supra. Aspirabis autem ad Christum dicens. "Veni dilecte mi in hortum tuum animam meam, perfla eam auster cælestis, ut fluant aromata illius; purga eam stillicidio tui pretiosi Sanguinis, riga fluentis gratiæ, fæcunda rore misericordiæ, ut fructus proferat dulces gutturi tuo. Veni spes mea, amor meus, & omnia; posside regnum cordis mei, & conforma illud cordi tuo. His præmissis quasi sacramentaliter communicasses, gratias age pro spirituali refectione, & fervidi amoris in te actus excita usque ad finem Missæ. Sacerdotis benedictionem summa cum reverentia excipe, cum spe uberioris à Christo accipiendæ. Evangelium denique S. Joannis piè audi, & gratias age pro beneficio Incarnationis.

XII. Sacro peracto rursum gratias age, & pete à Domino remissionem omnium tuorum, & alienorum peccatorum quoad culpam, & pœnam: excellentem tibi, & aliis sanctitatem: continuum auxilium in omnibus necessitatibus tuis, & aliorum corporalibus, & spiritualibus: magnam gratiam adversariis, & inimicis tuis, si qui sunt, aut erunt: & com-

menda illi in particulari aliquam necessitatem tuam, vel alienam. Demum ora pro felici exitu diei, & veniam postula quod minus attentè, & reverenter tam tremendo sacrificio interfueris.

§. XXVII.

Fasciculus aspirationum, & aliquot brevium Orationum.

I. DOmine Jesu spes mea, & unicum solatium animæ meæ, hodie propter te abrenuntio omnibus, quæ in mundo sunt; omnibus amicis, & propinquis, omnibus delitiis, & dignitatibus, omnibus divitiis, & voluptatibus, omnibus solatiis, & recreationibus, & quibuscumque caro allici, & anima inquinari potest, paratus his carere quomodocumque volueris. Te verò eligo in gubernatorem vitæ meæ, & refugium meum in omnibus necessitatibus, quia non est salus extra te, nec vita sine te.

II. O amor potentissime, Jesu mi dilectissime, extrahe quæso cor meum à me, illudque purifica, & renova, & ab omni sorde expurgatum absconde in vulnere

tis. *Gloria in excelsis Deo* recita cum Sacerdote, desiderãs Christum Jesum amore tui in vili stabulo natum, laudare, reclamare, & glorificare. Ad *Dominus vobiscum*, cum Minister respondet *& cum spiritu tuo*, paucis sed ardenter Deum roga, ut Ministris Ecclesiæ omnem gratiam, & dona necessaria ad officium suum ritè exequendum largiri dignetur. Post hanc Salutationem sequuntur collectæ quibus similes affectus associabis, & quod Sacerdos petit, tu quoque à Deo postulabis.

VI. Epistolam, sive lectionem, & Evangelium attentè audi cum desiderio divinam voluntatem tibi indicatam adimplendi, & affectus elice rei, quæ legitur proportionatos. Zelo exardesce Evangelicæ perfectionis, mores tuos Christi monitis, & institutis conforma, aliosque omnes verbo, & exemplo ad Christum trahere propone. Symbolum recita cum Sacerdote elicito fidei actu circa omnes ejus articulos cum desiderio eamdem propagandi.

VII. Sub offertorio, & secretis offer Sanctissimæ Trinitati vitam, passionem, & mortem Christi Salvatoris, & merita

ejus, ac omnium Sanctorum pro communibus Ecclesiæ necessitatibus: pro conversione infidelium, & eorum, qui sunt in peccato mortali: pro fervore justorum tepidè Deo servientium: ut multiplicentur Sancti in Ecclesia: & pro salute totius mundi. Offer etiam omnia desideria, & opera tua, & uni cum meritis Christi Salvatoris.

VIII. Ad præfationem Deo gratias age pro omnibus beneficiis communibus, & particularibus, illis præsertim, quæ non cognoscuntur ab hominibus, & quibus multi abutuntur, & pro quibus gratias non agunt quantas possent, & deberent. Denique usque ad elevationem pro omnibus deprecare hac, vel simili oratione.

Oratio.

» SUscipe, clementissime Pater, de
» manu hujus Sacerdotis hoc Sacro-
» sanctum Sacrificium in unione illius ti-
» bi gratissimi, quod dilectus Filius tuus
» tota vita, in ultima Cęna, & in cruce
» obtulit tibi pro me, & omnibus, pro
» quibus mori dignatus est. Respice in

faciem Christi tui, & per paterna infi- «
nitæ misericordiæ tuæ viscera; per ejus- «
dem Unigeniti tui merita, per ejus In- «
carnationem, Nativitatem, Circumci- «
sionem, lachrymas, labores, passio- «
nem, & mortem; per incomprehensi- «
bilem charitatem, qua tanta pro me fe- «
cit, dixit, & passus est; per eximiam «
B. Virginis Matris ejus sanctitatem, «
per omnium Sanctorum tibi exhibita, «
& exibenda obsequia, miserere Eccle- «
siæ tuæ Sanctæ ipsius Filii tui Sponsæ, «
quam acquisivit sanguine suo; & eam «
toto orbe terrarum rege, dilata; coadu- «
na, sanctifica, & exalta, ut per eam, «
& in ea perfectè ab omnibus glorifice- «
ris. Miserere summi Pontificis om- «
niumque Episcoporum, Prælatorum, «
Pastorum animarum, Regum, Princi- «
pum, Magistratuum, & aliorum, qui «
maximè possunt gloriæ tuæ, & saluti «
animarum prodesse. Effice illos homi- «
nes secundùm cor tuum, zeloque glo- «
riæ tuæ, & salutis animarum inflam- «
ma, ut & ipsi corde perfecto omnes «
voluntates tuas faciant; subditosque sibi «
verbo, exemplo, consilio, imperio, «
& auxilio ad idem inducant. Miserere «

» deinde omnium ſtatuum Eccleſiaſti-
» corum, noſtræ præſertim Congregatio-
» nis; omneſque, & ſingulos gratiæ tuæ
» radiis illuſtra, & ſinceræ charitatis
» igne accende, ut omni humano reſpe-
» ctu ſemoto, ſeſe invicem intimè dili-
» gant, mutuis officiis juvent, exemplis
» excitent, non quærant quæ ſua ſunt,
» ſed ad unicam tuam gloriam, & ani-
» marum ſalutem promovendam unani-
» miter conſpirent. Memento item, &
» miſerere omnium, pro quibus ſingula-
» riter orare teneor, parentum, fratrum,
» ſororum, conſanguineorum, affinium,
» benefactorum, & amicorum meorum;
» omnium qui ſe mihi commendaverunt,
» quibus ſcandalo fui, & quos ego con-
» triſtavi, offendi, & juvare neglexi;
» quoſque per me indignum vis juvari,
» & in viam ſalutis dirigi: omnium inno-
» centum, & bona deſideria habentium.
» Agonizantium, infirmorum, afflicto-
» rum, & de gravi aliqua tribulatione
» ad te clamantium; eorumque neceſsi-
» tatibus clementer ſubveni, piis deſide-
» riis aſpira, miſericordiæ tuæ theſauros
» ſingulis aperi, ut à peccatis liberati
» bonis operibus abundent, tuoque in

nere aperti lateris tui, ut ab eo deincep egredi nequeat. Vivam ego sine corde & tu esto cor meum, vita mea, & anima spiritus mei.

III. Sancta Trinitas unus Deus, qui me creasti ad imaginem, & similitudinem tuam reforma in me hanc tuam imaginem, ut cum anima mea è corpore separabitur, dignus inveniar præsentia tua, & consortio Sanctorum. Quia verò perditè vixi omnibus diebus vitæ meæ, & tempus mihi inutiliter elapsum est, ut illud irreparabili jactura amissum aliquo modo recuperare queam, averto me quantum possum ab omni loco, & tempore, totisque viribus in illud nunc æternitatis recipio, in quo tu essentialiter existis. Ibi enim neque præteritum, neque futurum est; ibi omnia deperdita reperiuntur. Atque utinam omni tempore sic laudabiliter vixissem, sicut omnes electi tui vixerunt. Utinam deinceps sic vivam, ut nihil in me reperiatur, quod oculis Majestatis tuæ displiceat. Hoc votum meum est, hæc firmissima voluntas. Præsta tu per gratiam tuam, ut quod inspiratione tua concepi, nulla possit tentatione mutari.

IV. Largire mihi Domine, ut plangam peccata mea, & pro iis satisfaciam antequam moriar. Fiant oculi mei fontes lachrymarum, & da mihi omnium verè pœnitentium contritionem. Adjuva me, Clementissime Pater, indignum filium tuum clamantem ad te, & adesto mihi in omni periculo, & necessitate. Erue animam meam de limo profundi, & lava me in Sanguine dilectissimi Filii tui. Intercede pro me gloriosissima Virgo Maria, & obtine mihi à Filio tuo finalem perseverantiam. Monstra te esse Matrem, & fac me esse filium: Monstra te esse Dominam, & fac me esse servum: monstra te esse Magistram, & fac me esse discipulum.

V. Domine Jesu miserere mei, neque abjicias me propter peccata mea: ex me enim est culpa, & perditio, ex te gratia, & miseratio.

VI. Da mihi Domine perfectissimam patientiam, ut omni contemptu, & pœna me dignum existimem, nam tibi soli debetur omnis honor, nihil autem mihi nisi ignominia.

VII. Rogo te Domine, ut de me, & per me fiat beneplacitum tuum, meam-

que voluntatem sic unias tibi, ut nihil omnino velle posim, nisi quod tu vis.

VIII. Da mihi Domine sedium tuarum aßistricem sapientiam, quæ intellectum meum illuminet, & affectum meum inflammet ad cognoscendum, & amandum te in omnibus super omnia.

IX. Domine Jesu Christe si mihi optionem dares, & promitteres te mihi daturum quæcumque peterē, nihil aliud quàm hoc peterem, ut tua laudabilißima voluntas in me, & de me semper fiat in tempore, & in æternitate.

X. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, ut non delinquam in lingua mea. Da mihi hanc gratiam, ut non loquar nisi quæ necessaria sunt, & fac me purum, & incontaminatum ab omni detractione, ab omni verbo inutili, & otioso.

XI. Diligam te Domine virtus mea toto corde, tota mente, tota virtute; & proximum in te, & propter te. Da ut omnium salutem queram, & promoveam; & ut omnes adversantes mihi non verbo solùm, & lingua, sed opere & veritate perfectißimè diligam. Aufer à me omnem iram, & amaritudinem,

omnem indignationem, & suspicionem, ut neminem judicem, & de omnibus bene sentiam in simplicitate cordis, & in Spiritu humilitatis.

XII. Amator ardentissime dulcis Jesu inebriet me ignita vis amoris tui, ita ut omnium creaturarum obliviscar, & totus ardeam tui desiderio. Accende in me ignem ardentissimum, quem nulla creatura possit extinguere.

XIII. Exaudi me Domine, & da mihi humilitatem tibi maximè acceptam. Extingue in me omnem appetitum honoris, & glorię, ut gaudeam nesciri, contemni, opprobria pati, ac pro nihilo reputari.

XIV. Excita cor meum Domine, & illumina, ut requiram, & inveniam te. Posside cor meum, ut requiescam in te, & obliviscar omnium, quæ sunt extra te. Fac me tibi indissolubili vinculo colligari, ut nihil sit quod me posit à te separare.

XV. Utinam Domine Jesu vulnera tua cordi meo semper fixa permaneant, ut dolor passionis tuę quotidie in me excitetur, & ardor tuæ dilectionis in me quotidie augeatur.

XVI. Spiritus Sancte Deus miserere mei, & luce tuę visitationis illumina cor meum, & tui amoris in me ignem accende. Imple, & confirma me septem donis tuis, & hoc ipsum in me operare quod olim in Apostolis, ut quicquid terrenum est in me pereat, tuique amor ferventissimus inebriet me, & in te transformet.

XVII. Utinam dulcis Jesu amore tui jugiter ardeam: utinam omnibus creaturis moriar, & tibi soli inhęream. Quicquid videro, quicquid audiero, quicquid sensero me in tui cognitionem perducat, & tuo amore accendat. Tu solus me possideas, & sis mihi omnia in omnibus.

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII Regis Christianissimi.

LUDOVICI XIV. Galliarum & Navarræ Regis Potentissimi singulari Privilegio cautum est, ne quis intra Regnorum suorum fines imprimat aut divendat Librum cui titulus est, *Horologium Asceticum indicans modum ritè & cum fructu obeundi Christianas exercitationes, quæ singulis, certisque diebus occurrunt*, Authore Eminentissimo Cardinali Johanne Bona, cæteraque ejusdem Doctissimi Cardinalis Opera, intra viginti annorum spatium, qui secus faxit confiscatione Librorum & alia gravi pœna mulctabitur, ut patet in eodem Privilegio dato Lutetiæ Parisiorum 29. Junii 1676.

Signatum, JEANNIN.

De Mandato Regis.

In publicas Bibliopolarum Parisiensium societatis Tabulas relatum 1. die mensis Octobris 1676.

Hæc prima Editio absoluta fuit die 31. Octob. ejusdem anni.

CATALOGUS
OPERUM
CARDINAL. BONA

Impressorum apud Ludovicum Billaine Parisiensem Typographum ac Bibliopolam.

DE Divina Psalmodia, 4.
De rebus Liturgicis, 4.
—— Id. 8. Editio quarta parte auctior ex auctoris autographo, cum Elogio & Testamento ejusdem Emin. Cardinalis.
De discretione spirituum, 4. Romæ.
—— Id. 12. Parisiis.
—— *Le mesme en François*, 12.
Manuductio ad Cœlum, 18.
Via compendii ad Deum, 12.
De Sacrificio Missæ, 12.
Principia & Documenta vitæ Christianæ, 12.

— *Les mesmes en François*, 12.
Horologium Asceticum, 12.
Testamentum & Elogium ejusdem Emin. Card. Bona.

Bona
Horolog
Ascetic